Orationes duæ

VNA.

DE HOMOLOGIA SIVE CONSENSV CONCENTVQVE THEOLOGIÆ LVTHERI CVM PHILOSOPHIA EPICVRI, HABITA IN

publica celebritate Doctorali Ingolſtadij,

AB ALBERTO HVNGERO ACADEMIAE INGOLSTADIENSIS PROfeſſore Theologo & Procancellario, Anno à nato CHRISTO M. D. LXXXII.

ALTERA.

CONTINENS APOLOGIAM REVERENDI, ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ, PATRIS D.D.

Martini Lutheri, repurgatoris doctrinæ Cæleſtis celeberrimi, præclariſsimeq́; de Republica Chriſtiana meriti.

OPPOSITA PRIORI A' ZACHARIA SCHILthero. S. Theologiæ Doctore & Profeſſore in academia Lipſenſi, eiuſdemq́; Procancellario.

ET IN PVBLICO CONVENTV INCLITAE academiæ Lipſenſis, cum poteſtatem conſequendorum inſignium Doctoralium in ſtudio Theologico quatuor reuerendis & ſpectabilibus viris, ſolenni renunciatione attribueret, ab eodem recitata, Die Septembris XXV. Anno eodem.

LIPSIÆ

Anno M. D. LXXXII.

4401

DE HOMOLOGIA SIVE CONSENSV CONCENTVQVE THEOLOGIÆ LVTHERI CVM PHILOSOPHIA EPICVRI,

ORATIO.

QVOTIESCVNQVE MIHI ex hoc loco dicendum fuit, (nobiliſsima & ornatiſsima corona) illud etiam atq; etiam ſtudui, vt non ſolùm tempori ac loco, verùm & profeſsioni meæ Oratio eſſet accommodata. Sic enim exiſtimabam, vnumquemq; in ea, quam profiteretur ſcientia & libentius & vtilius àudiri, & dum quiſq; ſuis quaſi finibus ſe continet, rerum ordinem multò pulcherrimum, multò etiam pulcherrimè conſeruari. Hoc igitur obſeruato more meo, decreui hodierna luce, de Philoſophia quidem & Philoſopho diſſerere, quòd talem aliquam tractationem tempus atque locus depoſcere videantur, at item de Theologia & Theologo, quod talis diſſertatio profeſsionis meæ rationibus maximè conueniat. Tantùm vos oro atque obſecro auditores præſtantiſsimi, vt ſi quid fortaſsis liberius pro veritate contra falſitatem dixero, ne id quiſquam voluntati meæ potius, quàm cauſſæ ipſi adſcribat. Philoſophorum quatuor potiſsimum ſectæ olim floruêre, vna Academicorum, altera peripateticorum, tertia Stoicorum, quarta Epicureorum. Quæ ſectæ quanta opinio-

num diuerſitate inter ſe decertauerint, & longum foret enumerare, & ad inſtitutum noſtrum minimè videtur neceſſarium. Perſecuti aũt ſunt huiuſmodi varietatem authores varij, Diog. Laertius in libris decem de vita & moribus Philoſophorum, Heſichius Mileſius, libro de his, qui eruditionis fama claruerunt, Plutarchus in libro de philoſophorum placitis, Euſebius Cæſarienſis in libris de præparatione Euangelica, Theodoret. de curandis Græcanicis affectionibus, Sextus Empyricus de diſciplinis Pyrrhonicis, Iohannes Stobæus in Eclogis Phyſicis ac Ethicis, aliјq; alibi. Nos verò miſsis Academicis, miſsis Peripateticis ac Stoicis, de doctrina Epicureorum ipſoq; adeò Epicuro ſolùm nunc videbimus, atq; comparatione haud futili demonſtrabimus, Epicuri Philoſophiam cum Lutheri Theologia ita conſentire vndiq; : vt ouum ouo vix ſit tam ſimile, quàm Theologus Lutherus Philoſopho Epicuro. Quod quidem ita abs me, dici demirabitur fortaſſe aliquis. At profectò ni planum iſtud fecero, fidem verbis meis abrogari omnibus haud moleſtè tulero.

Lib. 3. Inſti-tut. diuinar cap. 17.

Epicuri doctrina, vt inquit lacteum illud Chriſtianæ eloquentiæ flumẽ Lactantius, ſemper fuit celebris, non quia veri aliquid afferret, ſed quia multos populare nomen voluptatis inuitaret. Nemo enim non in vitia pronus eſt. Epicurus vt ad ſe multitudinem attraheret, appoſita cuiuſq; moribus loquebatur, deſidioſos vetabat literas diſcere, auarum à largitione liberabat, irreligioſo dicebat D E V M nihil curare, neq, gratia maieſtatem eius tangi, neq; ira moueri, delicato dolorem proponebat vt omnium malorum maximum, qui claritati ac potentiæ ſtuderet, hunc præcipiebat Regibus adulari, qui autem moleſtias ferre non poſſet, hunc

Regiam

Regiam fugere. Itaq; homo aſtutus ex varijs diuerſisq; placitis circulum cogens, dum ſtudebat placere popularibus, maiore diſcordia ſecum ipſe pugnabat quàm inter ſe omnes penè alij philoſophi. Et hæc quidem Lactantius. Sextus autem Empyricus libro primo de diſciplinis Pyrrhoniorum cap. 1. ſcribit, Epicurum fuiſſe hominem in multis indoctum: & neq; in communi ſermone purum, hoſtem Platonis, Ariſtotelis, ac ſimilium, qui multarum ſcientiarum cognitione præſtabant, in hos omnes maledicum, præſertim autem in præceptorem ſuum Nauſiphanem, cuius famam & exiſtimationem delere contendebat, vt à ſeipſo edoctus, ſuoque ſolius ingenio ac induſtria Philoſophus euaſiſſe videretur. Hinc, vt Laërtius & Heſichius referunt, Ariſtotelem non Doctorem appellabat, ſed decoctorem, Platonicos aſſentatores, Protagoram ſtraguligerum, Democritum Lerocritum, Antidorum Sanidorum, Heraclitum ſimiam, Stoicos Græciæ perduelles, Nauſiphanem verò ſuum magiſtrum, impoſtorem & pulmonem, hoc eſt, ſenſu carentem. Interim ipſe ad Philoſophiam ſuam rudes omnes inuitabat, ſenſibilia omnia vera eſſe dicebat, & ſenſus veros, & phantaſiam veram, contrà quàm alij, qui & ſenſus ratione corrigendos & Philoſophiam à multitudine abhorrere docebant. Denique ſicut ei principium Philoſophandi chaos fuerat, ita finis philoſophandi vna voluptas erat, quam vitæ huius breuiſsimæ termino ſic circumſcribebat, vt poſtea nec præmia nec pœnas vllas ſupereſſe traderet. Diuinationem, futurorumue præmeditationem negabat, & Deos hominum ſimiles eſſe aſſerebat, vt teſtatur Cicero de natura Deorum. Empedoclis verſus Philoſophicos maximi faciebat, adeò, vt de ipſo

 Empe-

Empedocle tres integros libros conſcriberet, teſte Laertio. Muſicam autem præſertim veterem indignè auerſàbatur, vt refert Plutarchus in libello contra Coloten Epicureum.

Iam Lutheri Theologiam ab hac Epicuri Philoſophia quantû diſsidere putatis, optimi auditores? Profectò mira inter ipſas harmonia eſt, ac ea quidem analogia, vt Epicureiſmus haùd videatur eſſe aliud quam imperfectus Lutheraniſmus, Lutheraniſmus verò haùd aliud, quam perfectus Epicureiſmus.

Popularis erat ſecta Epicuri, ad cuiuſq; mores appoſita. Quid aliud Lutheri perſuaſio? Quid populus odiſſet, quid amaret, quid adipiſci vellet, perdendebat Lutherus, atq; huc ſua dogmata conformabat, vt videlicet libidini & temeritati, quantum poſſet, inſeruiret. Mobile nouerat eſſe vulgus, & dominationis ſuapte natura impatiens. Ergò ſummum Pontificem, Cæſarem, cæteroſq; vtriuſq; reipub. Principes negligendos potiùs quàm obſeruandos haud obſcurè docuit, dum paſsim ſummum Pòntificem, Antichriſtum vocat, dum in libro ſuo contra duo mandata Cæſaris, Carolum V. miſerum vermium ſaccum appellat, qui ſe fidei defenſorem impudentiſsimè mentiatur, dum reliquos Germaniæ Principes in libro contra epiſtolam Regis Angliæ, Germanicas beſtias, tyrannos, fatuos, carnifices, lendes, bullas, nominat. Nouerat imperitam multitudinem, libertatem illam carnis, qua liceat quod libeat, vnicè deſiderare. Ergò ne in hac quoq; promouenda libertate parùm popularis haberetur, fecit, quantum potuit. Ius vtrumq;, tum Canonicum, tum Ciuile exploſit. Decretum enim, & Decretales, vbi ſanctorum Patrum ſententiæ, ſummorum Pont. & grauiſsimorum

Conci-

Conciliorum Canones continentur, tanquam rem diram & execrandam flammis vltricibus abſumpſit, more Tyrannorum illorum Antiochi Epiphanij ac Diocletiani, qui ſacros Codices, & Arrianorum, qui Nicœnos Canones Vulcano conſecrârunt, quin & hoc tam præclarũ facinus edito peculiari libello perquàm glorioſè iactauit. Leges autem ciuiles per libertatem Chriſtianam eſſe abrogatas, in Captiuitate Babylonica expreſſè perſcripſit: Et in reformatione ad Nobilitatem Germanicam, Nulla, inquit, eſt ſpes remedij, niſi libertatis Euangelio reuocato extinguantur ſemel omnes omnium hominum conſtitutiones. Quæ porrò ſcommata, quæ conuitia atq; ludibria in Iureconſultos effuderit, ſermones eius conuiuales ab Aurifabro Lutherano deſcripti ſatis oſtendunt.

Nouerat communem hunc eſſe animorum morbum, vt quàm minimo labore ad vitæ beatæ immortalitatem optemus conſcendere: nouerat carni parùm eſſe iucundam ieiunij obſeruationem, peccatorum exhomologeſin, frequentes precationes, idque genus alia pietatis opera. En igitur quibus lenocinijs huic quoque imbecillitati vel potius ſocordiæ aſſentetur. Libertate omnes ea donat, quæ à delicatis noſtris humeris has moleſtias in Chriſtum ſeruatorem transferat, quæ nos ab omni ſeueriori maiorum noſtrorum diſciplina immunes reddat, quæ neglecta illa aſpera & accliui virtutis ſemita per amplam & ſpacioſam deliciarum viam liberrimum iucundiſsimumque excurſum præbeat, quæ ieiunia, Confeſsionem, orationis aſsiduitatem, abſtinentiam, verbera, humicubationes & omnem illam caſtigationem, qua petulantis carnis impetus refrenâtur, pro hypocriſi habeat, quæ lachrymas

dolore

dolore peccatorum expreſſas, quibus iram Dei placare confidimus vt impias deteſtetur, quæ denique omne opus quantumuis optimum peccatum eſſe doceat, fidem autem eſſe vnam & ſolam, quæ Deum nobis placatum retineat, quicquid alioquin vel agamus, vel non agamus. Damnari enim ſecundum ipſum nullus poteſt, quantumcunq; flagitioſus, niſi nolit credere. Vna, ipſo iudice, infidelitas eſt, quæ damnat, vt hæc quidem tam abſurda & exitialia paradoxa tùm alibi tùm in Captiuitate Babilonica valdè feriò affirmat. An verò hoc non eſt Chriſti Theologiam in Epicuri philoſophiam conuertere? An hoc non eſt aliquem de Epicuri ſchola Deum, vt cum Tertulliano loquar, Chriſti nomine titulare, quandoquidem ſic à Chriſto ſeueritates & iudiciariæ vires omnes remouentur? An hoc non eſt per dulces ſermones, vt inquit Apoſtolus, ſeducere corda innocentium &, vt inquit Propheta, conſuere puluillos ſub omni cubito? Quòd ſi Tertulliano ibidem Epicurus rectè dictus eſt Marcionis conſiliarius, haud video, cur nòn etiam multò iuſtius dicatur Epicurus conſiliarius Lutheri. At eſt fortaſſe tamen, qui nondum ſatis perſpiciat, quàm propè ad Epicuri Philoſophiam Lutheri Theologia ſeſe adiungat. Age igitur, quòd Lutherus nulla caſtitatis vota voluit eſſe perpetua, quòd ad nuptias non ſolum admiſit, verùm etiam ſuo exemplo & doctrina inſtigauit ſacerdotes, monachos, moniales, imò quod Veneris vſum non minus quàm Cereris neceſſarium docuit, quid aliud quam ſubantis illius porci Epicuri veſaniam docuit? Erat indoctus Epicurus multis in rebus, erat præſtantiorum Philoſophorum, præſertim eorum, ex quibus didicerat, hoſtis infenſiſſimus, negabat horum diſciplinis ad perfectionem poſſe perueniri,

Lib. 1. cont. Marcion.
Rom. 16.
Ezech. 13.

perueniri,ſua crepabat dogmata, hæc oſtentabat, vti pulcherrima, vti abſolutiſsima. Ad gloriam enim,vt ſcribit Plutarchus in citato libello contra Coloten, adeò ruebat furenter, vt neminem vnquam ſapientem fuiſſe diceret, ſe excepto ſuiſque diſcipulis. Vnde & Neocles frater eius dicere ſolebat, matrem aluo continuiſſe tunc eas atomos, quarum concurſu, ſapiens naſci potuerit, quando Epicurum progenuit. Lutherus verò annon & ipſe in multis indoctus? Id quod non modò Catholici luculenter patefecerunt, verùm & mox initio ipſi eius amiculi Zuinglius, Caroloſtadius, Bucerus, & alij muſsitârunt,poſtea verò ſcriptis ac viua voce apertiſsimè & liberrimè teſtati ſunt. Philoſophorum inſigniorum, ſanctorum item Patrum, & Theologorum Scholaſticorum Præceptorum ſuorum hui quàm ſtrenuus oppugnator, imò verò calumniator Lutherus. Ariſtotelem vocat Ariſtultilem &, vt Germaniſare cum eo liceat, Der Hohenſchulen Narrentreiber / qui multò minus de rebus naturalibus nouerit, quàm figulus aliquis. Eccleſiaſticis Patribus Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo, Gregorio & alijs, fidei nihilo plus habet quàm Sathanæ: Nam & huic credit quatenus ipſius doctrinam iudicat ſcripturæ ſacræ conſentaneam: nec aliter iſtis: Vnde tametſi omnes vno ore idipſum, tanquam ſcripturæ ſacræ congruens doceant, id tamen ipſe impudenter audet reijcere,illud occinens pro ſe ſtare Euangelium,pro ſe ſtare Paulum, quaſi verò præ ipſo omnes hi patres trunci fuiſſent, aut fungi, qui neque quid Chriſtus,neq; quid Paulus voluiſſet, intelligere potuerint, & quaſi non ipſemet Chriſtus de his dixiſſet, Qui vos audit me audit, & Paulus verborum Chriſti procul dubio non

In Expoſ. Euange. 2. Dominicæ Aduentus, ad Albert. Com.Mansfeldens.año. 1532. Ibid. ſuper Euág. Epiphaniæ.

Luc. 10. Epheſ. 4.

malus interpres, datos eſſe nobis paſtores & doctores, etiam præter Prophetas & Euangeliſtas, ne incidente aliqua fidei controuerſia fluctuaremus tanquam paruuli & circumferremur omni vento doctrinæ, ſed ſequentes eiuſmodi paſtorum & doctorum vnanimem conſenſum ſciremus nos ſequi ſcripturæ ſacræ legitimum & ſalutiferum ſenſum.

Scholaſticam Theologiam, in citato libro ad Nobilitatem Germanicam, calumniatur plus habere opinionum ethnicarum, quam certarum ſententiarum. D. Thomæ autem Doctrinam, quam doctiſsimi quiq; ſemper maximi fecêre, nihil eſſe aliud ait in capt. Babylon. quàm ruditatem quandam aſininam & incredibilem ſtuporem atque inſcitiam. Deniq́ue in ſcholaſtica Theologia nihil ſe didiciſſe ſcribit, quam ignorantiam peccati, iuſticiæ, baptiſmi, & totius vitæ Chriſtianæ, nec quid virtus Dei, opus Dei, gratia Dei, iuſtitia Dei, fides, ſpes, charitas ſit, breuiter, non ſolùm ſe nihil didiciſſe, ſed non niſi dediſcenda didiciſſe, omninô contraria diuinis literis.

In reſolutionibus Concluſionum Lypſic. circa conclu. 2.

Ecquidni Luthere, quid ni etiam eruditiſsimorum hominum contemptu, & manifeſtis iſtiuſmodi mendacijs Epicurum nobis referas, qui in alijs omnibus eius doctrinam tam egregiè refers? Ex aliorum diſciplina perfectionem fruſtra quæri deblaterabat Epicurus.

Quid aliud Lutherus? An non hanc ipſius ſententiam in Hyperaſpite ſuo ipſe quoq; recitat Eraſmus: Neminem vel tantillum moueat (vt ſcilicet doctrinam Lutheranam non ſequatur) multitudo, magnitudo, latitudo, profunditas, miracula, ſanctitas, Doctorum ſuperiorum, omnes perierunt, ſi omninô ita ſenſerunt, vti ſcripſe-

vti ſcripſerunt. Meã doctrinã inquit in lib. contra Regẽ Angliæ, nolo iudicari neq; per Angelum, neq; per hominem. Certus enim ſum eam cœlitùs manare.

Ad Philoſophiam Epicuri indiſcriminatim omnes, etiam rudiſsimi admittebantur. Et Theologiam Lutherus tam facilem eſſe dictitabat, vt ſcholis nihil opus eſſe credi vellet, aut certè nihil Phyſicis aut Metaphyſicis ſcientijs, quin poſsit quicunque vel nudas verborum ſignificationes intelligat, ſine vllo interprete veros ſcripturæ ſacræ ſenſus comprehendere. Senſibus porrò ita fidebat Epicurus vt quicquid his appareret, verum ipſe arbitraretur.

Ad Nobilit. Germanicã.

Lutherus quoque, ne longius, quàm ad nuperam noſtram diſputationem de tranſſubſtantiatione abeamus, an non in Sacramento altaris ita pertinaciter adhæret ſenſibus, vt cum illi etiam poſt conſecrationem panis adeſſe ſubſtantiam renuncient, nullo modo ab hac ſententia ſe diuelli patiatur, quicquid ex ſcripturis ſacris teſtentur vetuſtiſsimi Eccleſiæ Doctores, ipſaq; Oecumenica Concilia. Sunt enim apertiſsima D. Cypriani verba, [a] panem mutari non quidem ſecundum effigiem, attamen ſecundum naturam ſiue ſubſtantiam. Eſt minimè obſcura illa D. [b] Cyrilli Hieroſolimytani admonitio: Etſi poſt conſecrationem guſtui, panis adeſſe videatur, fides tamen te confirmet, vt credas, non eſſe panem ſed eſſe corpus Chriſti, prout etiam in Chana Galileæ ipſius aquæ in vinum facta eſt tranſmutatio, vt videlicet verè amplius non fuerit aqua ſed vinum. Eſt denique grauiſsima definitio magni illius Concilij Lateranenſis, pluſquam mille & ducentorum Patrum præſentia & actione illuſtrati, cui Patriarchæ, ipſi quidem Conſtantinopolitanus & Hie-

Diſputatio Hungeri de tranſubſt. excuſa, publiceq; habita Ingolſtadij reſpondente pro Licentia Theolog. D. Chriſtophoro Gail, nũc Cathedralis Eccleſiæ Friſingẽſis Decano.

[a] In Serm. de cœna Domini.

[b] Catech. myſtag. 4. Catech. myſtag. 1.

rololimytanus, per legatos verò ſuos Antiochenus & Alexandrinus interfuerunt, præſedit autem Innocentius tertius Romanus Pontifex, vbi ſic eſt in Capite primo: IESV Chriſti corpus & ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate diuina. Sed cùm Epicuri in morem ſenſibilia omnia vera eſſe, ſenſum verum eſſe, phantaſiam ſuam veram eſſe Luherus perſuaſum habeat, ſurdo cantantur hæc omnia. Chaos fuit ſeu rerum confuſio, quæ Philoſophum peperit Epicurum. Chaos fuit ſiue confuſio non modò totius ordinis Hierarchici ſed omninò etiam totius ordinis Lutherici, quæ peperit Lutherum. Scripſit is mox ſub initium hæreſeos ſuæ librum de captiuitate Babylonica. Quid autem aliud Babylonia quàm confuſionem & tranſlationē ſignificat? Omnia ergò in illo libro ſurſum ac deorſum miſcet, vix quicquam quod rectum, quod verum, ſuo loco immotum relinquit. Quin & in alijs eius libris, quanta, proh Deum, confuſio? qualis labyrinthus? quàm inextricabilis error? quàm multa repugnantia? Quibus aliter videtur, ij quæſo conſulant Querchameri Lypſenſis contradictiones triginta ſex, quas Lutherus vel circa vnum S S. Euchariſtiæ Sacramentum effutiuit, conſulant Fabrum de Lutheri Antilogijs, Cochlæum de ſepticipite Luthero. Emoriar niſi apertè mecum fatebuntur multò magis etiam Lutherum à ſeipſo, quam Epicurum, diſsidere. Interim, vt Epicurus ex diuerſis Philoſophorum placitis circulum coegit, & de obſoletis Cyrenàicis alijſque Philoſophaſtris floruit, ita Lutherum ex varijs iampridem damnatis, & anathematizatis hæreſibus Manetis,

Vide analyticas Lutheranæ & Caluinianæ hæreſ. tabulas à Lindano & alijs Catholicis conſcriptas, &c.

ſtetis, Arrij, Aërij, Eunomij, Vigilantij, Iouiniani, VVicleffi aliarumque peſtium venenis peſtiferam ſuam ſectam condidit: In qua perſuadenda & propaganda ita etiam impuram, ſiue vt Seneca vocat, brutam illam Epicuri philoſophiam imitatus eſt, vt nullus vnquam Theologorum tam ſcurrili audacia, tamque obſcœno ſtylo ac ore quàm ipſe negotium religionis tractauerit. Voluptatem Epicurus huius vitæ termino definiebat, dum animas noſtras veluti capite mulctans vna cum corporibus interire aſſerebat, & quanquam verbis Deos relinqueret, reipſa tamen tollere dicebatur, quia nullam illis rerum ſublunarium prouidentiam tribuerat. Quid Lutherus? Non ille quidem eundem animarum quem corporum interitum ſtatuere videri voluit, at interim animas ex animabus progigni, non ſecus ac corpora ex corporibus, dogmatizauit: qui ſanè error communi eruditorum iudicio illuc tendit, vt omninò etiam anima noſtra & corporea & caduca credatur. Prætereà dormire animas noſtras, neſcio vbi, vſque ad extremi iudicij diem, concionatur in ſermone de Lazaro & diuite. Quid autem hoc eſt aliud, quàm in ſpeciem ſaltem demori, & adeò reuera cum corpore demùm reſuſcitari, interim verò neque meritorum condignis præmijs, neque ſcelerum iuſtis pœnis affici? quod totum Epicuri amentiam ſpirat. Ac quanquam præmia & pœnas poſt hanc vitam non negâſſet aliquouſque Lutherus, dum tamen diſparitatem præmiorum negauit, Epicureum quiddam vel in hoc ipſo errore repræſentâſſe putandus eſt. Certè Iouinianum qui ita ante Lutherum errauit, D. Hieronymus Epicureum appellaſſe non tam ob alios, quam ob hunc quoque errorem videtur. Deum quoq; Lutherus

In diſp. de de diſtinctione diuinarum perſonarum propoſita VVitebergæ anno. 1546.

Ita colligitur ex eiuſdem ſer. de natiuitate B. Virginis. & aſſentiuntur aliqui præcipui Lutherani.

In epi. 124.

verbis haud negabat, ſed ſi nihil intereſt, vt ſcitè, poſt Ciceronem & alios, ſcribit Seneca, vtrum Deos neges vel infames, profectò reipſa Deum negabat.

Quoniam, vt complures alias ipſius blaſphemias præteream, an non illa ſummæ in Deum impietatis vox eſt, etiam omnia mala opera Deum in impijs operari, in poteſtate hominis non eſſe vias ſuas malas facere, ſed Deum potenter omnia in omnibus operari, vt ſecundum Lutheri interpretem Philippum in prima editione locorum communium, non minus proprium ſit Dei opus proditio Iudæ, vel adulterium Dauidis, quàm Conuerſio Pauli? Quod horridum, & blaſphemum dogma veluti confirmans Lutherus illo ornat Ethnici Poetæ, certa ſtant omnia lege, pro vt & animæ traducem corroborat ex illo, patrem ſequitur ſua proles, ne videlicet ſolus Epicurus contra veritatem Ethnicis Empedoclis verſibus delectatus fuiſſe videri poſsit. Mihi profectò illud longè grauius erratum videtur, cauſam ſcelerum omnium Deo aſſcribere, quàm omnium rerum prouidentiam Deo detrahere: Tametſi quidem & prouidentiam Deo apertiſsimè quoque detraxit Lutherus, dum eum permiſiſſe docuit vt per tot ſecula ipſius Eccleſia in denſiſsimis errorum tenebris verſaretur, adeò vt niſi ipſe veniſſet, adhuc Euangelium ſub ſcamno deliteſceret. O Epicureum impijſsimum, qui Deo prouidentiam ſuam ac ſingularem curam, qua ſe Eccleſiæ ſuæ tanquam columnæ & firmamento veritatis adfuturum promiſit vſque ad conſummationem ſeculi, tam ſuperbè, vt more Epicuri ſolus ſapere videatur, adimere quantum quidem in ſe eſt conatur! Sed longius progredior quam putabam. Quòd ſi igitur Lutherus vna cum Epicuro reipſa

Ita Lutherus in art. 36.

Atheus

Atheus eſt, ſi præcipua ipſius dogmata nihil niſi Epicuriſmum continent(Ex his enim quæ dicta ſunt, cætera etiam, quæ propter temporis anguſtiam dicta non ſunt colligere licebit.) Reliquum eſt, ornatiſsimi iuuenes, ne vnquam aliter de Theologia Lutheri quâm de Philoſophia Epicuri ſtatuatis, quin vtramque potius iuxtâ auerſemini ac deteſtemini. Epicuri voces ſunt: Virtus & Philoſophia rigidior verborum inanium ſunt crepitus, vna felicitas facere omnia liberè, frui patrimonio, fluunt dies, irreparabilis vita decurrit, Quid iuuat ſapere & ætati non ſemper voluptates decerpturæ frugalitatem imperare? mortem quaſi vltrò præcurrere? & quod ipſa ablatura eſt iam ſibi interdicere? Quotidie ſobrius es, ſic cænare ſoles, quaſi Ephemeridem patri approbaturus. Non eſt iſtud viuere, ſed potius alienæ vitæ intereſſe.

Non multum abſimiles Lutheri ſunt voces: ſola fides ad ſalutem ſatis eſt, ſi firmiter ſtatuis tibi Deum eſſe propitium propter Chriſtum, hoc iam ſolo iuſtus es, beatus es, peccatum damnans nullum eſt præterquam infidelitas, pietatis opera ad ſalutem non modò ſunt inutilia, ſed pernitioſa etiam, ſiquidem te ijs vbi vel in Dei gratiam receptus es promeriturum exiſtimes &c. Vanæ ac falſæ ſunt hæ voces, ornatiſsima iuuentus, abducunt hi Syrenum cantus, à vera virtute & ſolida Philoſophia, abducunt à maioribus noſtris, à cæleſti patria, & in ſempiternum præcipitant exitium. Præclarè proinde fecerunt hactenus lectiſsimi Domini Candidati noſtri, qui veluti fortiſsimus ille Hercules in biuio blandam voluptatem, & tanquam prudentiſsimus ille Vlyſſes, inſidiantes nauigantibus Syrenas, popularem iſtam tum Epicuri Philoſophiam,

tum

tum Lutheri Theologiam, fortiter atque prudenter aſpernati, eius ſapientiæ ſtudium ſunt ſecuti, vnde & meliores & doctiores, ſe Deo hominibuſque comprobarent. Qua etiam de cauſſa mihi longè iucundiſsimum fuerit, quod ſuo quodam iure paulò ante à me efflagitârunt, iam iam ipſis tribuere, ſi modò prius ſolito ipſos videro adſtrictos iureiurando.

D I X I.

Oratio hæc de Epicurea doctrina Lutheri, digna mihi viſa eſt, quæ typis impreſſa euulgetur.

GREGORIVS de VALENTIA Societatis IESV, Theologicæ Facultatis Ingolſtadij pro tempore Decanus.

ORATIO PRIORI OPPOSITA.

PERFVNCTIS MVNERE ſuo, reſpondendo de capitib. propoſitis, ad ea, quæ ex aduerſariorum ſententia illis fuerunt obiecta, ſatis dextrè & perſpicuè, Dominis Licentiandis, viris reuerendis, & tam pietate ac virtute, quàm doctrina præſtantibus, Magnifice Domine Rector, reuerenda, ampliſſima & ſpectatiſſima dignitate, omni virtutum genere, eruditæque doctrinæ copia præſtantiſſimi viri, & vos pietatis atque optimarum artium ſtudioſi adoleſcentes, reliquum eſt, vt ſecundum inſtituti huius conuentus rationem, cum præſcripto ſtatutorum, & longi temporis obſeruatione congruentem, quàm decretum Collegij Theologici exequar, attribuendo illis poteſtatem, ad quam modeſtè aſpirant, prius aliquid ego quoq; in hac celebritate publica verborum faciam, de rebus, quarum cura atque explicatio noſtro ordini commendata eſt. Cum autem vſitatum ſit in his congreſſibus aliquid dici, quo vel ad amorem doctrinæ Chriſtianæ inuitentur iuniores, vel de aliqua doctrinæ parte erudiantur, vel celebretur memoria eorum, qui præclari aliquid geſſerunt in Eccleſia, deliberanti, atq; hinc inde, quid potiſſimum eligerem, circumſpicienti, venit mihi in mentem grauiſſimæ, & non modò memoria, ſed etiam obſequio, & obſeruatione digniſſimæ commonefactionis, communis præceptoris noſtri, τοῦ ἐν ἁγίοις Philippi Melanch.

quæ extat in cōcione funebri R. patris Lutheri: Semper in omni æternitate bonæ mentes beneficia, quæ DEVS Eccleſiæ per Lutherum dedit, celebrabunt, & primùm Deo gratias agent, deinde & ipſius viri laboribus multum ſe debere prædicabunt, etiamſi homines ἄθεοι, qui totam eccleſiam rident, hæc κατορθώματα inanem ludum eſſe iudicant. Quas enim ſatis magnas vnquam DEO agemus gratias? pro reſtituta puritate doctrinæ cœleſtis, eiecto è ſcholis & Eccleſijs cœno barbariei Theologiæ, ſeu potius Sophiſticationis ſcholaſticæ, imò pro accenſa nobis clariſſima luce Euangelij, pulſis & diſcuſſis denſiſſimis & Aegyptiacis triſtioribus tenebris errorum & ignorationis rerum diuinarum, atq; vmbra mortis maximè horribili, denique pro redemtione magnæ partis generis humani, opera & miniſterio reuerendi patris Lutheri perfecta, ex captiuitate plus quàm Babylonica & tyrannide diabolica, qua illa oppreſſa iacuit in regno abominationis & deſolationis Antichriſti Romani. Quo de beneficio ſeriò cogitantes, fieri non poteſt, quin diſperſi per totum orbem terrarum filij DEI vniuerſi & ſinguli cum Pſalmiſta in lætiſſimam vocem prorumpant: A' Domino factum eſt hoc, & eſt mirabile in oculis noſtris. Item: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis: Et coniunctis votis ardentibus, intimorumque pectorum gemitibus orent: Confirma hoc DEVS, quod operatus es in nobis, propter templum tuum ſanctum, &c. Quid declarandæ erga DEVM pro tanto beneficio debitæ gratitudinis ergò, pijs mentibus dignius? quid his honorificentius? grata tanti viri memoria & prædicatione frequenti, quem vt DEVS ſummo maximeq; admirabili

operi repurgandæ doctrinæ cœleſtis certo conſilio deſtinauit, & ad hoc eum inſtinctu Spiritus ſancti excitauit: Ita non modò ipſum ſummo ingenij acumine, cognitione rerum ſacrarum admirabili, eloquentia incomparabili, animi robore incredibili, virtute vere heroica, & multis alijs maximis donis, præ alijs inſtruxit & exornauit, ſed etiam curriculum vitæ & vocationis illius ingentium beneficiorum in Eccleſiam collatorum cumulo, & illuſtribus atque admirandis infinitæ ſapientiæ & potentiæ diuinæ in gubernatione Eccleſiæ, veritatis, doctrinæ immotæ & indubitatæ, denique fauoris, benignitatis & clementiæ diuinæ erga Eccleſiam ſingularis teſtimonijs condecorando, ad eam eminentiam & celſitudinem euexit, vt omnium quantumuis præſtantium & celebrium noſtri ſeculi, & aliquot priorum quoque, doctorum vocationibus quantumuis auguſtis, & rerum geſtarum magnitudine ampliſſimis, magno ſplendore præfulgeat. Quid denique vtilius? quid fructuoſius eſt? grata huius ſanctiſſimi herois celebratione, cuius hiſtoria plena eſt maximarum virtutum exemplis, quorum cōſiderationem certiſſimum eſt maximam vim habere, ad excitandum, confirmandum, augendumq; religioſæ pietatis, & aliarum virtutum ſtudium, cùm in pijs omnibus, tum in his, qui militum in acie ſibi inuicem ſuccedentium inſtar, collocati in ſtatione miniſterij Eccleſiaſtici (quales ſunt reuerendi & ornatiſſimi viri quatuor, in medium ornatiſſimæ concionis modò producti) à fortiſsimo heroë Luthero ſibi traditam λαμπάδα excipiunt, vt laudabili æmulatione virtutum Lutheri incitati & inflammati, magna animi alacritate & indefeſſo ſtudio gloriam CHRISTI illuſtrare,

 & regnum

& regnum illius amplificare pergant. Accedit huc ſeculi noſtri conditio infelicisſima, & ſtatus deplorandus, quo videmus cum ex δηπνετοφιςαῖς, tum IESV ψευδαδέλφοις, effrontis, & iam pridem proſtituti pudoris meretricis Romanæ lenonibus impurisſimis, impudentiſſimiſque, multos ad obliterandam, & ſempiterna obliuione ſepeliendam memoriam Lutheri, electi Spiritus ſancti organi, extenuatione & eleuatione, cùm perſonæ, tùm doctrinæ & ſanctisſimorum laborum ac meritorum amplisſimorum illius, multò plures verò ad vitam vocationemq́; eiuſdem venenatis calumnijs; & atrocibus conuitijs proſcindendam ac deformandam, & grauiſſimis atque anathemate dignis criminibus onerandam, excitari & impelli, à patre mendaciorum diabolo, tantùm hoc fine, vt Luthero & illius monumentis ex finibus & agro Eccleſiæ pulſis, & infra omnes mortuos, quod dicitur, amandatis, zizania, venenum & virus ſuum ſpargere latiùs, & plures, præſertim ſimplices & imperitos, φλυαρολογίαις ſuis dementando, ab agnitæ veritatis ſemita, ad errorum deuia, & ab æternæ ſalutis via rectisſima, ad æternæ damnationis præcipitium facilius abducere queant.

Huius farinæ ſcriptum, plenum ſpurcitie, ſcurrilitate & impietate plus quàm Epicurea, imò calumnijs & blaſphemijs diabolicis, præter cæteras turbæ Pontificiæ λοιδορίας καὶ λόγους στηλιτευτικοὺς, contra Lutherum diuulgatos, & à noſtratibus iam pridem ſolidè & grauiter refutatos, hoc ipſo adhuc anno, proh dolor, ab Alberto Hungero, Theologo & Procancellario Academiæ Ingolſtadienſis, editum nuper admodum vidi, in quo os impudens & blaſphemum non dubitat ſelectum

organum

organum Dei Lutherum, Epicureiſmi arguere, inſtituta expreſſa collatione Theologiæ Lutheri cum philoſophia Epicuri, reuera non minus ἀθέῳ, quàm ἀσόφῳ, quæ tantùm ad hunc finem directa eſt, vt ſanctiſsimis Lutheri lucubrationibus ex manibus piorum excuſsis, imò pedibus conculcatis, Sophiſtarum ſcholaſticorum & ψευδαδελφίας Ieſu impia, & nugis Siculis, quòd dicitur, vaniora commenta poſtliminij, quaſi iure in has ſcholas reducantur. Quæ autem, Deum immortalem, auditores ornatiſsimi, maior poteſt eſſe in Deum ingratitudo? quæ doctrinæ cœleſtis per Lutherum nobis reſtitutæ contumelia virulentior? quæ peſtis & corruptela iuuentutis ſcholaſticæ nocentior & exitialior? quod demum ſcandalum infirmis mentibus obijci poteſt atrocius? quàm eſt audax & impudens iſta Theologiæ Lutheranæ cum delirijs Epicuri comparatio ineptiſsima? O' ſtupendam mundi ingratitudinem. O' caninam impudentiam, ô profanitatem Epicuream Synagogæ malignantium. Sed non eſt dubium, quò plus nos vtilitatis ex ſanctiſsimis laboribus Lutheri, quàm profani iſti contemtores & לֵצִים, percipimus, eò longè maiorem noſtram, tàm in DEVM, quàm in fideliſsimum illius miniſtrum Lutherum, ingratitudinem futuram, ſi patrocinium illius contra hoſtilem inſectationem Sycophantarũ ſuſcipere recuſemus. Tanto ergo conatu cum diabolus in his ingrati mundi fecibus, propter inſtantem ſibi finem tragœdiæ, per vaſa iræ apparata ad interitum, contra Lutherum inſurgat, nobis verò, qui veſtigia illius in ſtatione, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ſcholaſtica, militum ſibi inuicem ſuccenturiatorum inſtar, ſequimur, vocationis & ſucceſſionis ratio, præter eam,

quam Deo & Luthero debemus gratitudinem, ineuitabilem ſuſcipiendæ deſenſionis & patrocinij Lutheri & traditæ nobis per ipſum doctrinæ, neceſſitatem imponat, etſi veriſsimum eſt, quod vulgò dicitur, nullum Sycophantæ morſui ſanando remedium ſatis efficax reperiri poſſe: Viſum eſt tamen cùm mei, tum ornatiſsimi huius auditorij confirmandi cauſa, omnes ingenij neruos intendendos, vt ab Epicureæ prophanitatis, Luthero intentata criminatione, omnium maximè horrenda, vindicetur, & ſancta atque inuiolata deinceps quoq; apud bonos ſit & maneat exiſtimatio & dignitas Lutheri, de Eccleſia ſancta & re ſcholaſtica præclariſsimè meriti, nec non monumentum illius, ſuper immotam petram CHRISTVM & fundamentum adamantinum ſcriptorum propheticorum atq; apoſtolicorum extructorum, ideoque aſsidua attentaq; piorum omnium lectione digniſsimorum. Quod vt Dei benignitate, gubernante me Spiritu ſancto, ornandæ gloriæ Dei, & omnium noſtrûm ſaluti plurimum inſeruiat, toto pectore DEVM oro. A' vobis verò, Magnifice Domine Rector, omnium dignitatum præſtantiſſimi viri, voſq; ſtudioſi adoleſcentes, vt me benignè audiatis, &, ſi quid liberius pro veritate contra mendacia dixero, id non mihi, ſed cauſæ imputetis, quo par eſt ſtudio, multò rectius quàm antagoniſta, etiam atque etiam peto atque contendo.

Conatur os impurum Albertus Hungerus, Academiæ Ingolſtadienſis profeſſor Theologus & Procancellarius, comparatione, per quam ἀπροσδιονύσως demonſtrare, philoſophiam τοῦ ἀτόφου Epicuri, præconis & mancipij diaboli fœdiſsimi, cum Lutheri Theologia ita conſentire

ſentire in omnibus partibus, vt ouum ouo vix tam ſimile ſit, quàm Theologus Lutherus philoſopho Epicuro. Item, vt Epicureiſmus haud videatur eſſe aliud, quàm imperfectus Lutheraniſmus, Lutheraniſmus verò haud aliud, quàm perfectus Epicureiſmus. Videamus igitur initiò, quàm horribile monſtrum & portentum fuerit Epicurus, ex manifeſtis furoribus diaboli conflatum, & pietatem Lutheri, ſtudia, labores, & lucubrationes ſanctiſsimas, meritáque in Rempublicam Chriſtianam ampliſsima, & cum nemine comparanda, cum horribilibus furoribus Epicuri conferamus, vt non modò vanitas, ſed etiam impudentia leuiſſimi ſcurræ & fœdiſsimi Epicuri de grege porci, cum ſumma prophanitate & blaſphemia coniuncta, conſpiciatur illuſtrius, non ſine ſummo ſycophantæ coram Deo & Eccleſia dedecore & confuſione. Etſi autem Epicuream ſectam horribilibus diaboli furoribus plenam eſſe, & omnibus ſectis reliquis τερατολογίᾳ & impietate plurimum antecellere, notiſſimum eſt ex hiſtorijs, cum prophanorum ſcriptorum, vt Diogenis, Laërtij, Ciceronis, Plutarchi, Athenæi, Suidæ, &c. tum Eccleſiaſticorum, vt Lactantij, Epiphanij, Nazianzeni, &c. Eminent tamen inter omnes Epicuri furores ſex potiſſimum. Primus ἀθεΐα καὶ βεβηλότης. Remouet enim plus quàm Gygantæa audacia, ab vniuerſitate rerum duas cauſas præcipuas, efficientem & finalem, negando Deum, & affirmando omnia ſine prouidentia diuina tantùm caſu nata eſſe, & cœco impetu ferri. 2. Omnis eruditæ doctrinæ contemtus & doctorum hominum odium ἄσπουδον, ab extrema ruditate & omnium rerum ignoratione profectum. 3. Tetra rerum omnium, maximè doctrinæ,

confuſio

confuſio & ἀταξία τῷ χάει Ouidiano non diſsimilis. 4. Ineptiſsimorum & ex ſcholis longè antè exploſorum philoſophaſtrorum κακοζηλία. 5. Captatio auræ popularis & ordinis politici prophanus contemtus. 6. Patrocinium τῆς ἀφιλοσόφε ἡδονῆς, ſecundum Nazianzenum. Atque horum collatione cum reuerendi patris Lutheri pietate, doctrina ſalutari & cæteris ornamentis maximis, noſtra nunc conſumetur oratio. CVM

I. Gradus collationis.

autem ab eo, in quo deſijt blaſphema Sycophantæ oratio, noſtræ apologiæ quàm commodiſsimè ſumatur initium, propter criminis atrocitatem, reliqua conuitia omnia, quantumuis virulenta, longè ſuperantis, nimirum Lutherum reuera non minus, quàm Epicurum, ἄθεον fuiſſe, videamus quæſo primum, num quicquam in Luthero ſit, quod vllam ἀθέιαν Epicuream ſpiret, & an non potius idea & imago religioſæ pietatis tantæ, quanta in hominem ſanctum, in hac extrema mundi ſenecta, cadere poteſt, & quidem illuſtris, nobis in eo ſit propoſita. Quis enim eſt, qui ignoret, quam illuſtris DEI & quidem filij Domini noſtri IESV CHRISTI agnitio fulſerit in Luthero? Quantum veræ pietatis ſtudium? Quàm heroicus in eo arſerit zelus gloriæ Dei, veritatis incorruptæ & æternæ ſalutis Eccleſiæ? Quàm ingentibus donis & admirandis virtutibus Spiritus ſancti hoc electum organum, non modò noſtræ ætatis & futuræ, ſed etiam ſuperiorum aliquot ſeculorum Eccleſiæ doctoribus, licet & ipſis Spiritus ſancti donis claris & conſpicuis, Heſperi inſtar, nocturnis ignibus ſplendore luminis antecellentis, præfulſerit? vt quem de Platone præceptore ſuo Ariſtoteles verſiculum inſcripſit aræ, in honorem illius extructæ, multò

rectius

rectius de Luthero optimi quiq; & grati illius diſcipuli vſurpauerint, & adhuc vſurpent:

Nulla ferent talem ſecla futura virum.

Quanta porro in repurganda doctrina alacritas, quanta in propugnandis dogmatibus veritatis cœleſtis aduerſus monachos, μυστηριομάχους, anabaptiſtas, antinomos, Suenckfeldium & reliquam diaboli ſynagogam μεγαλοψυχία? Vt non immerito Dominus Philippus hoc illum verſiculo ornare non dubitauerit:

Magno animo bellum pro pietate gerit.

Quàm inuictum animi robur aduerſus condemnationum Pontificiarum fulmina? Quanta animi in adeundis periculis confeſſionis excelſitas? Quanta confeſſionis conſtantia? Quantus deniq; & quàm heroicus, omnium tam illecebrarum, quàm terriculamentorum huius mundi, imò ſpectrorum diaboli, & furoris organorum illius, propter confeſſionem puræ & incorruptæ doctrinæ euangelij aduerſus ipſum concitati, contemtus? Deniq; quàm ardens & concitatum profundendi pro confeſſione euangelij ſanguinem deſiderium, ita vt corona martyrij indignum ſeſe à Deo haberi, penè doluerit? teſte Pſalmi cxxx. de profundis, enarratione. Præterea quantus in inuocatione, quæ pij pectoris & ab omni prophanitate Epicurea & dubitatione Academica alieniſſimi, τεκμήριον euidentiſsimum eſt, ardor animi? quot, quantæq; lacrymæ inter precandum, non pro ipſo tantùm, ſed pro tota Eccleſia profuſæ? quantum fidei robur? vſq; adeò, vt nullius eorum omnium, qui illum in hac ſtatione ſecuti ſunt, preces cum ſpiritu, ardore, robore, aſſiduitate & efficacia precum Lutheri conferri queant, ſicut multi ſancti viri teſtati ſunt, ma-

ximè Vitus Theodoricus, & cõmunis præceptor noſter Philippus, ardentiſsimarum precũ Lutheri obſeruatores diligentiſsimi & admiratores ſummi. Quæ poteſt illuſtrior eſſe victoria? quis glorioſior & admirabilior triumphus eo, qui de Antichriſto Romano actus fuit, cuius noſtro ſeculo, nemo niſi Lutherus πρωταγωνιστὴς atq; πρόμαχος extitit? Deniq; quis vnquam, noſtra ætate, contra totius mundi, imò principis mundi aduerſantem ſibi ſapientiam, potentiam, furorem & rabiem in ſummo rerum omnium diſcrimine & periculo, muri ahenei inſtar, inuictus & immotus perſtitit, perinde atque Lutherus? Tanta cum fuerit Lutheri pietas, tanta in aſſerenda veritate conſtantia, tantum cultus diuini ſtudium, vt non immeritò religioſæ pietatis ſpeculum & exemplum admodum conſpicuum & admirandum appellari queat, quid quæſo oris, quid frontis peſsimo Zoilo eſſe putatis, Epicureæ cum prophanitatis arguenti? qua de Suidas: Ἐπίκουρος, inquit, τὸ θεῖον παρ' οὐδὲν ἐτίθετο. O' tetram Sycophantæ impudentiam, ô calumniam diabolicam. Quantò verò rectius hoc Epicureiſmi crimen in ipſum λυτρομάστιγα & complices illius retorqueri à nobis poterat? non tantùm ſtylo, ſed ferro etiam & flamma, impium dogma de dubitatione etiamnum defendentes & propugnantes? Quid enim eſt aliud, præcipere dubitationem de remiſsione peccatorum, & de gratia Dei, quod Synodus Tridentina facit, quàm pietatem Chriſtianam & religionem omnem penitus abolere & euertere? & vel in ſecuritatẽ ethnicam & Epicuream, vel in deſperationem diabolicam transformare? Sed tantùm in hoc fœdiſsimo decreto latet impietatis abominandæ & profanitatis ethnicæ, vt cogitatione

nulla

nuíla comprehendi, nedum verbis exponi poſsit. Taceo profanitatem ſummorum Pontificum, quorum alijs doctrina Pauli verſus rerum inopes nugæque canoræ, quarum lectio Cardinalibus indigniſsima ſit, alijs, vt Paulo tertio, doctrina de CHRISTO anilis fabula, cæteris verò fermè omnibus, paucis exceptis, animæ immortalitas & carnis reſurrectio παράδοξον incredibile, deniq; commune ſymbolum fuit Epicuri de grege porcis olim vſitatum: ἔσθιε, πίνε, ὄχευε, τἄλλα δὲ οὐκ ἄξια ἐπικροτήματος. Sed videamus quæſo, quæ ſint argumenta iſta Achillea, Epicureæ ἀθεΐας Luthero ab Eſauita βεβηλοτάτῳ impactæ. Etſi, inquit, Lutherus præmia & pœnas poſt hanc vitam non negauerit: diſparitatem tamen præmiorum poſt hanc vitam inficiatur & negat, puta in ſermone de natiuitate Mariæ, quod & ipſum Epicuri amentiã ſapit. Ad hoc quod reſpondeamus, in promtu eſt, nimirum non ſimpliciter ibi negari præmiorum inæqualitatem, ex Danielis 12. & 1. Corinth. 15. Luthero non ignotam, ſed πῶς καὶ κατά τι, hypocritarum ſcilicet reſpectu, propter externum opus extructorum à ſe Cœnobiorum & Baſilicarum, licet à vera fide & pietate cordis alieniſſimum, ampliora vitæ æternæ præmia ſuo quaſi iure ſibi poſtulantium, quemadmodum ex totius homiliæ contextu conſtat. Quæ aſſertio quid quæſo falſi habet? Sed pergit ἀχάλινον ςόμα Sycophantæ Lutherum accuſare, quod Deo cauſam omnium ſcelerum aſcripſerit, dicendo: Etiam omnia opera mala Deum operari in impijs, articulo 36. contra Bullam Leonis. Sed eſt impudens mendacium. Longè enim alia ſunt verba Lutheri illic poſita, hæc ſcilicet: Nam & mala opera in impijs regit Deus, ſcilicet ad ſaluta-

rem Eccleſiæ exitum eà conuertendo, quemadmodum ibidem oſtendit, adducto exemplo Pharaonis. Item: In poteſtate hominis non eſſe vias ſuas malas facere,ſed Deum potenter omnia in omnibus operari. Vbi obſeruandum, particulam (potenter) eſſe aſſumentum Pontificium, Luthero in toto iſto articulo, non efficacem cauſam malarum actionum Deo tribuente, ſed tantùm permiſsionem (hac enim voce expreſsè ibidem vtitur) & homines ab ipſis actionibus & earum euentibus ad Deum, & illius conſilium atque decretum, à quo fatales pœnæ impiorum dependent, reuocante, quod ex dictis ſcripturæ, quorum auctoritate hanc ſententiam confirmat, notiſſimum eſt, niſi illa ipſa quoque Manichææ impietatis, non minus quàm Lutherum, arguere velimus, cuiuſmodi ſunt: Deus operatur omnia in omnibus, Epheſ. 1. Item: Omnia facit Deus ꝓpter ſemetipſum, etiam impium ad diem malum, Prouerb. 16. Item: Scio Domine, quod non eſt hominis via eius, Ierem. 10. Item: Tradidit eos Deus in reprobam mentem, Rom. 1. Item: In hoc ipſum excitaui te &c. Exodi 9. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius euadit, prouidentiam illic à Luthero confirmari, non negari, ſaluo Libero arbitrio hominis non renati in actionibus ad externam diſciplinam pertinentibus, & renati in ſpiritualibus, cui quàm nihil voluerit derogatum Lutherus diſputationibus contra Pelagianam & Pontificiam Liberi arbitrij in ſpiritualibus amplificationem directis, notiſsimum eſt, cùm ex alijs eiuſdem declarationibus, tum ex enarratione Pſalmi 51. & Geneſeos 26. capitis, vbi contra diſputationem ſuam de abſoluta omnium euentuum neceſsitate apertè proteſtatur,ne

ſcilicet

ſcilicet poſt ipſius obitũ vel defendendam eam quis ſuſcipiat, vel odioſè eam exagitet, ſed potius antagoniſtæ eam imputet Eraſmo, quo de alibi plura dicuntur commodius. At videtur adhuc à Luthero reſpectus & attentio Dei ad Eccleſiam Epicureo more negari, quod dixerit, cum permiſiſſe, vt per tot ſecula Eccleſia in denſiſſimis errorum tenebris verſaretur. Sed quid vanius? quid futilius hac calumnia? Quis enim neſcit, quàm euidenter Lutherus demonſtret, etſi preſſa, tecta, obſcura & horribilibus ſcandalis deformata fuerit Eccleſia in regno Antichriſti: non prorſus tamen nullam, aut in nihilum redactam, neque vnquam cura & attentione Dei plus quàm paterna, prorſus deſtitutam fuiſſe, quamuis maxima pars denſiſſimis errorum tenebris oppreſſa iaceret, idq́; cùm alibi, tum in libro, de hoc argumento ex profeſſo edito, anno 41? Atq; tantùm de prima, profanitatis & impietatis Epicureæ, ſz. calumnia.

ALTER Sycophantæ Momo mordacioris morſus eſt, quòd, Lutherum ad Epicuri ſimilitudinem ruditate & hoſtili literatiſſimorum quorumcunq;, tam philoſophorum, quàm Theologorum odio atq; contemtu, & ſuæ doctrinæ commendatione ὑπερβολικῇ, atq; oſtentatione Thraſonica, quàm proximè accedere affirmat, non minore, quàm prius, vanitate & impudentia. Sanè Epicurum, quò fuit ſapientiſſimorum philoſophorum & præceptorum de ſe optimè meritorum ὑπερόπτης inſolentior, imò hoſtis infenſior, & ſuorum deliriorum admirator & oſtentator impudentior, vſq; adeò, vt neminem vnquam ſapientem fuiſſe dixerit, ſe ſuisq́; diſcipulis exceptis: eò ab omni erudita doctrina alienorem & prorſus ὄνον πρὸς λύραν fuiſſe, à nobis non controuertitur

II. Gradus collationis.

At Lutherum ruditatis & inſcitiæ Epicureæ inſimulari, venenata calumnia & atrox iniuria eſt. Quod vt planum fiat, non dicam nunc, idq; breuitatis ſtudio, de eximia indole doctrinæ, quæ in Luthero puero eluxit, non de ſtudijs artium & linguarum, quibus à primis annis ingenium non vulgariter excoluit & expoliuit, neq; de felicitate & ἐξοχῇ progreſſionum in ſtudijs artium & linguarum, quæ tanta fuit, pro re nata & ſeculi illius fortuna, verius infelicitate, vt admirationem Luthero pepererit, ſicut ex hiſtoria illius à multis perſpicuè deſcripta conſtat: Sed ſatis nobis eſt ſcire, Lutherum θεοδίδακτον, θεόπνευστον & verè θεολόγον fuiſſe. Quid enim difficilius, quàm veritatem cœleſtem, ſcintillulæ aut igniculi inſtar, tot errorum & traditionum humanarum cineribus, imò ruderibus obrutam, tanto cœno & luto vaniſſimarum gloſſarum tectam & coopertam, tanta futiliſſimorum cōmentariorum ſcholaſticorum mole oppreſſam & planè ſepultam, præſertim in tanto ſapientiæ & auctoritatis humanæ fulgore, oculorum aciem perſtringente & hebetante, cernere & conſpicere, conſpectam eruere & in lucem proferre, prolatam non tantùm à ſordibus & ſqualore opinionum humanarum expurgare, ſed etiam priſtino nitori reſtituere, vt iam toti orbi terrarum luce meridiana clarius affulgeat? Non eſt id, credite mihi, humani ingenij, quantumuis acrimonia alijs præſtantis, non ſapientiæ carnalis, non perſpicacitatis & ſolertiæ politicæ, aut philoſophicæ, quantumuis perſpicacis & ſolertis, non induſtriæ aut laboris humani opus, ſed diuini ingenij, & ſapientiæ cœleſtis, ſolius Spiritus ſancti magiſterio acceptæ referendæ. Quod autem vociferatur Therſites ἀμε-

tes ἀμετροεπῆς ſciolos & ψευδαδέλφους Lutheri, Carolſtadium, Cinglium, & alios, quorum Sycophantiam hodiè gnauiter ſequuntur Caluini aſseclæ, Lutherum primum clâm, poſtea palàm cum infeſta Catholicorum turba ruditatis inſimulaſſe, id ad adimendam eximio organo DEI eruditionis laudem, propterea, quod non à vero iudicio, ſed ab odio Lutheri atq; inuidia, & id genus vitioſis affectibus profectum ſit, nihil apud nos momenti habere debet aut poteſt, præſertim cum non deſint nobis multorum doctrinæ laude nihilo inferiorum, de eximia Lutheri eruditione teſtimonia, vt Eraſmi, Domini Philippi, & multorum aliorum, quæ meritò tam ſimulatorum amicorum obtrectationibus, quàm hoſtium & לֵצִים veritatis cœleſtis mendacijs ſunt anteferenda. Sed accuſat Sycophanta Lutherum, quod contemtu & vituperio optimarum artium & ſummorum philoſophorum, Epicuri inſtar, laudem ſapientiæ aucupatus ſit. ἀλλὰ λόγος ταῦτα. Quoties enim ſcimus illum deploraſſe, & quidem magno cum dolore, aluearia Muſarum, pulſis apibus, à fucis, monachis & choraulibus, occupata teneri, & mellis loco cœno barbarico repleta eſſe? quanto quæſo ſtudio exhortatur magiſtratus & ſenatores ciuitatum Germaniæ, ad inſtaurationem ſcholarū & conſeruationem ac propagationem, non modò piorum, ſed etiam liberalium ſtudiorum, oratione luculenta, habita anno 24? Quoties in epiſtolis Georgium Spalatinum, illuſtriſſimo principi Friderico Electori, laudatiſſimæ memoriæ, à ſacris Concionibus, precibus vrget, vt efficiat, quò reformatio ſtudiorum philoſophicorum in Academia Vuittebergenſi maturetur, inprimis verò, vt celebrium artificum

ficum opera ad profeſsionem linguæ Hebraicæ & Græcæ liberali ſtipendio conducatur? Quantopere & quoties optat, vt nemo ad miniſterium verbi, niſi prius in pulueribus ſcholaſticis probè deſudauerit, admittatur, quod non faceret, niſi cognitionem liberalium artium & diſciplinarum, quæ in ſcholis traduntur & exercentur, cùm alijs tum verbi miniſtris inprimis vtilem & neceſſariam eſſe iudicaret. Quod autem in epiſtolis & homilijs paſsim, maximè ad nobilitatem Germanicam, de reformatione Eccleſiæ, ſpem omnem ſe abijcere ait, niſi Philoſophia, maximè Logica, è medio tollatur, id manifeſtè ſe intelligere oſtendit de præpoſtero philoſophiæ & Logices vſu, ſeu de ſpinoſis argutijs, labyrinthis & præſtigijs Sophiſmatum, quæ loco Euangelij, ſub ſpecie veræ philoſophiæ & Logices, in ſcholis & eccleſijs, tum temporis dominabantur, non de ſana philoſophia, neq; de vero, legitimoq; illius vſu. Non enim vult aſinum Chriſto, ſed Chriſtum aſino imponi, neq; aſinum ſuper montem Moriam adduci, ſed infra montem relinqui, hoc eſt, philoſophiam non dominam aut magiſtram fidei, ſed pediſſequam & ancillam verbi diuini eſſe, & ad Chriſti genua deponi, quemadmodum literati Theologi quiq; omnibus ætatibus rectiſſimè iudicarunt. Eiusdem farinæ eſt, quod Luthero vitio vertitur, quod in Ariſtotelem interdum tantopere inuehatur, quem Plutarchus non immeritò naturæ lumen ac miraculum, & eloquentiæ flumen aureum dictum refert in Cicerone. Nihil enim Lutherus στηλιτευτικοῖς ſuis ſcriptis veræ exiſtimationi Ariſtotelis, aut monumentorum illius dignitati derogatum voluit, (ſi nimirum conueniens illis locus tribuatur, & tanquam

ſpolia

ſpolia Aegypti ad vſum Eccleſiæ transferantur, nimirum ad exercendam iuuentutem, ad augendam & locupletandam dicendi facultatem, miniſtro verbi neceſſariam) ſed abuſum tantùm doctrinæ Ariſtotelicæ, quæ tum ab aliquibus Euangelio miſcebatur, apud nonnullos verò, euangelij expulſi, & infra omnes mortuos amandati, locum obtinebat in eccleſia, perſtrinxit, quemadmodum oſtendunt conciones Lutheri Dominica 2. aduentus & Epiphanias. Item ſcriptum ad nobilitatem Germanicam directum, perinde atq; Paulus ipſe Philoſophiam, veneni inſtar (Coloſ. 2.) fugiendam monet, non ex veris, ſed falſis principijs & fundamentis extructam, & in fraudem doctrinæ euangelij compoſitam. Quod autem Lutherus negat, Ariſtotelem quicquam amplius ſcire figulo, id de creatione intelligendum eſt rerum omnium ex nihilo, longè ſuperante ſapientiam principij Phyſici, Ariſtoteli cum figulo communis, quo ex nihilo nihil perhibetur fieri. Sed grande inprimis nefas & morte piandum ducitur aduerſario profano, quod ſcriptoribus eccleſiaſticis, imò præcipuis eccleſiæ luminibus, vt Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino & alijs nihilò plus fidei ſe habere affirmaſſe perhibetur Lutherus, quàm Satanæ, citra nimirum ſcripturæ conſenſum & auctoritatem. Verùm quid mirum, patribus ſine ſcripturæ auctoritate de religione aliquid aſſerentibus, fidem denegari à Luthero, cum Hieronymus ipſe fateatur, quod ſine ſcripturæ teſtimonio aſſeritur, eadem facilitate, qua recipitur, reijci & repudiari poſſe, in Matth. cap. 23. & Irenæus, Auguſtinus & alij tam ſuis quàm aliorum Orthodoxorum doctorum veterum ſcriptis, non niſi quatenus ταῖς

 γραφαῖς

γραφαῖς σύμφωνα fuerint, fidem adhiberi cupiant. Neq; aliud voluit magnus Lutherus, quàm hanc ipſam ἐξοχὴν ſcripturæ authenticæ & ἀξιοπίςυ, præ piæ vetuſtatis lucubrationibus ſignificare, quod citante Hyperaſpiſte Eraſmi dixiſſe perhibetur: Neminem vel tantillum moueat multitudo, magnitudo, latitudo, profunditas, miracula, & ſanctitas doctorum ſuperiorum, omnes perierunt, ſi omnino ita ſenſerunt, vti ſcripſerunt. Quod autem Lutherus piæ antiquitati, ſcripturæ ductum & auſpicia ſectanti, in enarratione ſcripturæ, non modò fidem habendam non negauerit, ſed reuerenter eandem audiendam, & ſtudioſè ſequendam monuerit, notiſſimum eſt cùm ex alijs illius ſcriptis multis, tùm ex libro de Concilijs & eccleſia anno XXXVIII. edito, lectione digniſſimo, in quo dogmata tam vera, inde à Chriſti reſurrectione ad hæc vſq; tempora in eccleſia recepta, & præcipuorũ Oecumenicorum conciliorum decretis ſtabilita, quàm falſa, pſeudoſynodorum auctoritate eccleſiæ obtruſa, continua narrationis ſerie perſequitur. Neq; verò patrocinatur omnibus veterum doctorum erroribus, ſine diſcrimine & exceptione, quod Chriſtus inquit: Qui vos audit, me audit, Item: Paulus: Ideo datos nobis paſtores & doctores, ne circumferamur quouis vento doctrinæ, quemadmodum ex his falſò colligit antagoniſta, conſenſum paſtorum & doctorum vnanimem, ſcripturæ genuinum & ſalutiferum ſenſum eſſe affirmans. Id enim tantùm de conſenſu, cum ſcriptura congruente, non de omni conſenſu accipiendum eſt, cùm certiſſimum ſit integras Eccleſias, & magna concilia, relicto verbo, in doctrina aliquoties grauiter & turpiter hallucinata eſſe, teſte hiſtoria eccleſiaſtica.

ſiaſtica. Tandem Lutherus ruditatis arguitur à Zoilo ob inſcitiæ & ignorantiæ probrum, cum cæteris ſcholaſticis doctoribus, tum maximè Thomæ, ſcholaſticorum principi, obiectum in libris ad Nobilitatem Germanicam & de Captiuitate Babylonica. Sed non eſt hoc iudicium Lutheri de Scholaſticis ſiue omnibus, ſiue Thoma tantùm, ab ignorantia vel Philoſophiæ, vel ſcholaſticæ Theologiæ profectum, in qua probè eum verſatum, nemo niſi in lectione Lutheri nunquam verſatus, negauerit, ſed à confuſione philoſophiæ & Theologiæ ſcholaſticis vſitata, cùm in alijs articulis doctrinæ Chriſtianæ omnibus, tum de Sacramentis, maximè quod ad opinionem de accidentibus, ſeu ſpeciebus panis & vini, ſublato ſubiecto, in cœna reliquis manentibus attinet, in qua ita miſceri vtrumq; doctrinæ genus oſtendit Lutherus, in libro de captiuitate Babylonica, vt neq; ad philoſophorum placita, neq; ad Spiritus ſancti oracula congruat. Quod autem in ſcholaſticorum libris plus opinionum ethnicarum, & commentorum philoſophicorum, maximè Ariſtotelis, quàm teſtimoniorum ſcripturæ, allegatum reperiatur, id quod & ipſum ſcholaſticis à Luthero obiectū reprehenditur, notius eſt in eorum lectione verſatis, quàm vt exemplis rem planam fieri neceſſe ſit. Poſtremò ſycophantiæ accuſatur Lutherus, quod ex ſcholaſtica Theologia nihil, niſi ignorantiam peccati, iuſticiæ, baptiſmi, & totius vitæ Chriſtianæ, ſeſe didiciſſe ſcripſerit, neq; quid virtus Dei, opus, gratia, iuſticia Dei, fides, ſpes, caritas ſit, intelligere ex illis potuerit, in primæ propoſitionum hîc propoſitarum reſolutione. Sed heus bone vir, quis es tu, qui has Lutheri voces veriſſimas mendacij arguere au-

re audes? Quis vnquam ſcholaſticorum fructum & efficaciam ſalutarem baptiſmi pro dignitate illuſtrauit? Quis eſt, qui ἀταξίαν cordis in baptizatis & renatis reliquam, fomitis tantùm rationem potius, quàm ἀνομίας ſeu mali, cum lege pugnantis, habere non contenderit? Quotus quiſq; iuſticiam fidei ita intellexit, vt ſtatueret peccatum tolli, non vt non inſit, ſed vt non imputetur, vt Auguſtinus loquitur? Quotus quiſq; eorum gratiam, de gratuito DEI in Filio placati fauore, & non de infuſis nouis qualitatibus accepit? Quotus quiſque fidem, ſpem, caritatem, opera vel effectiones Spiritus ſancti, non motus voluntarios, & proprijs viribus effectos eſſe agnouit? Sed hæc de ſecunda calumnia ſatis putida ſufficiant.

III. Gradus collationis. TERTIO non dubitat ἐμπαικτὴς ſcurrili audacia affirmare, Lutherum ex confuſione ordinis hierarchici natum, Epicuri inſtar, confuſionis horrendæ in eccleſia auctorem fuiſſe, & ſcripta plena confuſione, labyrinthis, & errore inextricabili, imò etiam ἀντιλογίαις ſeu contradictionibus edidiſſe. Non dicam autem nũc de ordine & ſtatu rei eccleſiaſticæ in regno Antichriſti, tempore nati Lutheri, qui verius ἀναρχία, quàm ἱεραρχία & ἀταξία καὶ ἀκαταστασία, quàm τάξις, imò Babylon ipſa (quæ nihil eſt aliud, quàm triſtiſſima rerum omnium confuſio & perturbatio) appellatur, quemadmodum Lutherus in libro de captiuitate Babylonica initio repurgationis, confuſionibus dogmatum in regno pontificio oppoſito, demonſtrat. Verum quàm impudens ſit mendacium, quod Sycophanta doctrinæ & ſcriptis Lutheri confuſionis crimen impingit, id potius quæſo mecum pauliſper expenditote. Sunt autem cùm alia

alia multa, tum inprimis tria illuſtria argumenta, quæ hanc calumniam perſpicuè refutent. 1. Methodus doctrinæ Catecheticæ. 2. Cæterorum Lutheri ſcriptorum lux & perſpicuitas. 3. Proprietas & puritas translationis Bibliorum Germanicæ. Scripturam hodie multi dilucidioris explicationis cauſa, in chiliadas locorum partiuntur, & quò quiſq; plures ὑποδιαιρέσεις cumulat, eò plerunq; maiore laude ornatur. Sed quantò quæſo maiorem laudem meretur Lutherus? qui ſumma breuitate, coniuncta cum perſpicuitate non minore, vniuerſam ſcripturam Propheticam & Apoſtolicam in ſex capita doctrinæ Chriſtianæ diſtribuit, breui libello Catechetico, veluti περιοχῇ, καὶ σωματοποιήσει, totius ſcripturæ ſuccum & ſanguinem complexus, imò mare vniuerſæ ſcripturæ, in quo agnus peditat, & elephas natat, vt veteres locuti ſunt. Quid enim hîc confuſionis, quid labyrinthorum, quid repugnantiæ, vt nugatur Zoilus? Quæ methodus excogitari poteſt concinnior, commodior, expeditior? Quæ explicationis poteſt maior eſſe lux, perſpicuitas, dexteritas? id quod ſingularum partium libelli Catechetici exemplis declararemus, ni ſumma temporis nobis obſtaret anguſtia. Sed non minorem methodicæ perſpicuitatis laudem merentur ἐξηγήσεις ſacrorum monumentorum à Luthero traditæ, & magna dexteritate ad hæc ſex ſumma capita accommodatæ, de quibus, vt notiſſimum eſt, ita meritò magnifaciendum nobis, non modò celeberrimis Theologis quibusque, ſed etiam Eraſmo, Petro Paulo Vergerio, & alijs à noſtra religione paulò alienoribus probatum communis præceptoris noſtri, Philippi nimirum, iudicium, his verbis in præfatione 3. Tomi expreſſum: commentarij ſci-

licet in Geneſin: Cum Lutheri miniſterio Deus eccleſiam repurgauerit, ad quod eum excellentibus donis inſtruxit: res ipſa oſtendit, ipſius enarrationes longè antecellere aliorum interpretum ſcriptis, quas quidem extare & ad poſteros tranſmitti vtile eſt, non ſolùm vt illuſtrentur libri Prophetici & Apoſtolici, ſed etiam, vt de omnibus articulis noti ſint viri tanti, cuius pectus Spiritu ſancto regebatur, teſtimonia & confeſſiones, quibus deinceps pij in certaminibus dogmatum confirmentur. Quod ad διδασκαλικὰ ſeu δογματικὰ ſcripta Lutheri attinet, quibus doctrinam ſalutarem & neceſſariam hominibus, ſine vllis ſalebris, labyrinthis & ſphyngis ænigmatis complexus eſt: Item ἐλεγκτικὰ tam publica quâm priuata, in quibus multos pernitioſos errores refutauit, (In has enim tres claſſes τῶν ἐξηγητικῶν, διδασκαλικῶν καὶ ἐλεγκτικῶν ſcripta Lutheri ab ipſo Philippo aptiſſimè diſtribuuntur omnia) vix poſſunt illa maiori ornari præconio, quàm ꝙ Eraſmus & ab Imper. Carolo & Friderico Elect. ſanctæ & celeberr. memoriæ, liberè quod ſentiret de ſcriptis Lutheri, dicere amanter rogatus, coràm & in conſpectu eorum, & prius ſcriptis ad Lutherum literis, teſtatus eſt, grauiſsimas controuerſias magna dexteritate iudicij ab eo in his explicatas, errores grauiter refutatos, & ſcripturæ teſtimonijs dogmata Lutheri adeò munita eſſe, vt quid contra afferre deberet, prorſus neſciret, nec quicquam in eo, niſi ſtyli moderationem & lenitatem, ſeſe ciuilem deſiderare. Sed vrget Ariſtarchus noſter ἀντιλογίας Lutheri, caput deponens, niſi Lutherus in ſuis ſcriptis magis, quàm Epicurus à ſeipſo diſsideat. O' Epicureum impijſsimum, ô ἐμπαικτὴν leuiſsimum, qui Luthero vi-

tiò vertere non vereatur, quod ipſe laudi ſibi, & quidem meritò, ducit, ingenuè fatendo, ſe ex eorum numero eſſe, qui (vt Auguſtinus de ſe ſcribit) ſcribendo & docendo profecerint, non eorum, qui de nihilo repentè ſummi fiant, cum nihil ſint, in præfatione tomi primi. Quid? quod nec Momus ipſe ignorat, Lutherum, ſtudio lucrifaciendi Chriſto aduerſarios, initiò multa conſultò illis largitum eſſe, quæ poſtea, vbi ſe lenitate ſua nihil apud eos proficere, ſed eorum rabiem ſubinde magis accendi, & creſcere obſtinationem animorum animaduertit, vehementer & quidem meritò improbauit, edito hac de re ſcripto peculiari anno x x. Denique non neſcit, ſcripta Lutheri occaſionum varietate & diuerſa ſcribendi intentione & ſcopo plerunque diſcrepare, quorum conſideratio ad conciliandum ſcripta in ſpeciem diuerſa, plurimum adiumenti attulerit. Quid porrò quæſo obſcuritatis? quid caliginis? quid perplexitatis? quid veprium & ſentium? in verſione Bibliorum Lutheri Germanica, verè Germana, natiua & genuina? an non omnia plena lucis? dexteritatis? perſpicuitatis? vt veriſsimum ſit præceptorum noſtrorum, inprimis domini Philippi, de illa iudicium præclariſsimum, eam nimirum cùm verborum proprietate & ἐμφάσει, tum ſententiarum perſpicuitate, multis in locis, non tam verſionis, quàm commentarij, & quidem luculenti atque copioſi, nomen mereri. Contrà verò, quanta occurrit obſcuritas, quanta barbaries, quantæ ineptiæ, quot ἀκυρολογίαι? cùm in alijs libris & literis antiquis, tum in Biblijs Germanicis in papatu vſitatis, quæ primum à quodam Volfila, epiſcopo Hungariæ, ad imitationem Græcæ tranſlationis, poſtea ab alijs ad

Latinæ

Latinæ verſionis exemplum, vtcunque compoſita eſſe exiſtimantur? Sed de his ſatis.

IIII. Grad⁹ collationis. Qvarto Hungerus, Antichriſti emiſſarius, Lutherum Epicuro comparat propter conſarcinatam ex teterrimis & graui iudicio Eccleſiæ damnatis hæreſibus Manetis, Arij, Aërij, Eunomij, Vigilantij, Iouiniani, Vuiclefi, aliarumq; peſtium venenis, Theologiam Lutheri, inſtar philoſophiæ Epicureæ, quæ ex ineptiſſimorum philoſophorum placitis, & longè antè exploſis atq; obſoletis erroríb. conſarcinata fuit. Sed quid quæſo, vſpiam in ſanctiſſimis Lutheri lucubrationibus reperitur, quod vel Arianam vel Eunomianam contra filium Dei blaſphemiam ſapiat? Quod Manichæam ſpiret impietatem? aut Vigilantij vel Iouiniani deliria redoleat? Quis maiore, quàm Lutherus, luce illuſtrauit doctrinam de perſona, de duabus naturis in Chriſto, de maieſtate filij hominis à Sacramentarijs ex parte obſcurata, de officio & regno Christi, barbarico cœno & ſordib. diſputationum ſcholaſticarum prorſus obrutam & ſepultam? Quis beneficia Chriſti dicendi facultate ornando, efferendo, amplificando, & particulam, Sola, ſumma contentione propugnando contra iuſtitiarios, ὑπερασπιστὴς gloriæ Christi extitit acrior quam Lutherus? Quis vnquam ad Christvm, tanquàm vnicum Bibliorum ſubiectum & ſcopum, tanto ſtudio & cura omnia retulit, quanto Lutherus, qui ſolo Christo commendando totus occupatus eſt, in hoc immoratur, in hoc immoritur, in hoc viuit, in hoc triumphat, vt propterea ab aliquibus φιλιησοῦς καὶ φιλόχριστος, Iohannes Euangeliſta, non immeritò appelletur. Deniq; Iouiniani & Vigilantij hæreticorum (qui

σύγχρονοι

σύγχρονοι fuerunt Hieronymo) ſectator Lutherus ſine calumnia dici non poteſt, niſi quod cum illo, coniugium virginitati non poſtponendum, & virgines, viduas & maritatas in Chriſtum credentes, eiuſdem meriti, cum hoc verò, ſanctos non inuocandos eſſe, contenderit, quorum vtrumque hæreſeos crimine indigniſſimum eſſe, nemo eſt, qui non intelligat. Quod autem ἀλάστωρ Lutherum Epicurei delirij de communi animæ hominis cum corpore interitu, obliquè inſimulat, propterea quod in diſputatione de diſtinctione perſonarum diuinitatis, anno XLV. habita, animas ex animabus, non minus, quàm corpora ex corporibus, propagari ſtatuat, vt modum ſcilicet propagationis peccati originalis vtcunque declaret, hominis fronte carentis indicium eſt. Non enim ignorat, neque ignorare poteſt, Lutherum Ariſtoteli, cùm propter alias opiniones verbo DEI contrarias, tùm propter opinionem de animæ hominis interitu, acerrimè contradixiſſe, cùm in alijs ſcriptis, tum in eo, quod Nobilitati Germaniæ dedicauit. Ad hæc quod Sycophanta vociferatur, Lutherum Epicureo errore dementatum, omnium rerum veritatem ex ſenſu tantùm iudicare, idque ſolius transſubſtantiationis exemplo declarat, cui à Luthero non aliam ob cauſam tam acriter contradici affirmat, quàm quod Lutherus, quomodo ſubſtantia panis per conſecrationem in corpus Chriſti tranſeat, & mutetur, ſola ſpecie ſeu accidentibus reliquis manentibus, vt illi ſomniant, oculis non percipiat, tetrum mendacium eſt. Teſtantur enim omnia ſcripta Lutheri nihil minus probari illi, quàm non modò ἄτοφον, ſed etiam impiam illam Serueti vocem: Nihil venit in meum intellectum,

niſi quod prius ſenſibus fuerit perceptum. Certum eſt etiam, Lutherum non damnaſſe tranſubſtantiationis commentum, eò, quòd cum ſenſuum iudicio non congruat, ſed quod verbis Pauli, qui panem benedictionis etiam poſt benedictionem, panem vocat, & Chriſti, qui poſt inſtitutam cœnam, vinum etiamnum genimen vitis appellat, refragetur & repugnet, quo de alibi, Deo fauente, præſertim vbi diſputatio de transſubſtantiatione ab eodem Hungero habita, ad quam tanta inſolentia & faſtu prouocat, ad nos peruenerit, plura commodius dici poterunt.

V. Gradus collationis. QVINTO, Lutherum Epicuri ſimiam eſſe arguit σπερμολόγος iſte, quod Epicuri inſtar, fauorem vulgi aucupati, temeritati & libidini imperitæ multitudinis applaudat, & ſocordiæ atq; ſecuritati carnis infinitam peccandi licentiam affectantis, patrocinetur, magiſtratum politicum contumelia afficiendo, leges ſanctiſsimas abrogando, & è medio tollendo, & earum interpretes conuitijs proſcindendo. Equidem magnum verbum, ſi verum eſſet. Sed longè aliter rem ſe habere, nullo negotio probabimus. Atque initio ſanè negari non poteſt, Lutherum paulò aſperiorem & rigidiorem in dicendo & ſcribendo fuiſſe, maximè in priuatis ſcriptis, atque de hoc ipſo multos magnos viros conqueſtos, idq; Lutherum ipſum ſæpè confeſſum eſſe. Verùm quemadmodum ſi artificum errata, ab ipſis artibus diſcernantur, vt Ptolemæi verbis vtar, nihil artes ipſæ ex artificum erratis vitij contrahunt, ita nomen & exiſtimatio innocentum ab omni iniuria & labe ignominiæ facilè vindicari poterit, ſi vita & fama ab ipſis dogmatibus & cultibus impijs, & tractationibus verbo DEI

contra-

contrarijs, quas acerbius inſectatus eſt, prudenter ſeiungantur. Nec dubium eſt, ſi quis antagoniſtarum & hoſtium Lutheri, fanaticorum ſpirituum, tyrannorum & falſorum fratrum perfidiam, βωμολοχίας, & conuiciandi acerbitatem, cõiunctam cum cœcitate & obſtinatione animorum inſanabili, ſi idolomaniæ Pontificiæ, ſi tyrannidis, ſi βδελυμίας, ſi manifeſtorum furorum diabolicorum, qui tum graſſati fuerunt in eccleſia, atrocitatem, cum heroico ſpiritu & ardenti zelo gloriæ DEI & incorruptæ veritatis, cum perfecto odio mendaciorum, ſophiſtices, & manifeſtæ turpitudinis: quo ſanctiſſimum pectus Lutheri diuinitùs accenſum & inflammatum fuit, conferat, hunc Pericleam vehementiam & παῤῥησίαν propheticam Lutheri in dicendo & ſcribendo, eidem nequaquam vitio, ſed laudi daturum eſſe, quemadmodum non modò ipſe ſuam παῤῥησίαν in epiſtola ad Spalatinum, ſed etiam dominus Philippus & Eraſmus excuſant, dicentes: Deum propter morborum magnitudinem, poſtremæ ætati paulò acriorem medicum dediſſe. Sed venio ad Pontificem Romanũ, quem, queritur Lutheromaſtix, immeritò à Luthero contumelioſiſſimo nomine Antichriſti deformatum. Non eſſe autem eum iniuria affectum, euincit conformitas eiuſdem cum ὑποτυπώσεως luculenta Antichriſti, quæ extat Daniel. 11. 2. Theſ. 2. Apocal. 14. & 18. maximè dominium Pontificis Romani in templo DEI, prohibitio coniugij, & confuſio libidinum, quemadmodum oſtendit Lutherus in libris de Antichriſto, & de Papatu à diabolo fundato. Quod verò vel libidini & petulantiæ imperitæ multitudinis, ἀναρχίαν affectantis, inſeruierit Lutherus, quod legitimum magiſtratum vnà cum

honeſtis legibus, quæ ſunt velut muri & propugnacula ordinis politici, abolitos & abrogatos voluerit, id pernegamus, & quidem optima conſcientia, verè & conſtanter affirmantes, ſi vnquam quiſquam, hoc nouiſſimo ſeculo, veris encomijs & præconijs ampliſsimis ornauit magiſtratum, ſi quis ſtabiliuit & confirmauit ordinem politicum, palmam meritò inter omnes ferre Lutherum. Teſtis noſtræ aſſertionis locuples eſt luculenta Pſal. 101. expoſitio. Teſtis refutatio duodecim articulorum, ſparſorum à ſeditioſo Theologo in Sueuia, Lotharingia & Francia, conſtans atrocibus comminationibus & ſtupendis exemplis, punitæ à Deo ſeditionis, contra magiſtratum politicum excitatæ, anno x x v. Teſtis eſt liber ſatis durus, damnans ſeditionem ruſticorum, & exhortans magiſtratum ad reprimendam hanc ſeditionem eodem anno. Teſtis deniq; huius libri apologia, conſtans rationibus grauiſſimis, & fundamentis firmiſſimis optimo iure oppreſſæ & damnatæ perfidæ ruſticorum aduerſum legitimum magiſtratum rebellionis. Teſtes ſunt deniq; omnes libri furoribus Anabaptiſtarum oppoſiti. Sed quid opus eſt pluribus in re manifeſta? At Cæſarem vas putre & fragile, imò eſcam vermium, & principes Germaniæ beſtias tyrannos, fatuos, lendes & bullas appellauit, non ſine atrociſſimo crimine læſæ maieſtatis, idq; in vtroq; ſcripto, tam contra duo edicta Imperatoris, quàm ad regem Angliæ. Quaſi verò Lutherus non incogitantiam potius Imperatoris & principum, qui cum Imperatore in contraria edicta conſenſerant, quàm legitimam eorum poteſtatem taxauerit, cui qua par eſt, animi ſummiſſione ſumma, veraq; reuerentia, & ſeſe ſemper ſubiecit, & omnes ordines guberna-

bernationis eccleſiaſticæ ſubiectos eſſe debere, paſsim demonſtrauit. Quaſi obſcurum cuiquam ſit diuinum Lutherum, Imperatoris & principum veritati hoſtiliter aduerſantium ſapientiam & potentiam, non ſubditorum reſpectu aut ſimpliciter, ſed potius diuinæ Chriſti potentiæ ratione extenuaſſe, qui potentiſsimos tyrannos in momento conterere & in nihilum redigere poſſit, quemadmodum Herodis, Neronis, Domitiani, Maximiani, &c. exempla ibidem adducta teſtantur. Quaſi deniq; non manifeſtum ſit, Lutherum tantos proceres imperij humanæ fragilitatis, fruſtra aulæ Romanæ ad impediendum curſum Euangelij operam ſuam tradituræ, & contra ſtimulum, quod dicitur, calcitraturæ, admonuiſſe, eoſque magis ab errore ad veritatis agnitionem, & ab interitu ad ſalutem æternam, reuocare & reducere, quàm odium apud ſubditos illis conflare, & pernitioſæ ſeditioni atque rebellioni, contra eos excitandæ, cauſam præbere ſtuduiſſe. Quò pertinet, quod Lutherus, vbi prudentiam, clementiam & moderationem Cæſaris erga ſe cognouit, ſummis laudibus eum ornauit & extulit, & ſi quid ab eo peccatum ſit, id in aulam Romanam & impia flabella, à quibus Imperator irritatus fuerat, contulit, edita cõmonitione ad dilectos ſibi Germanos anno XXXI. Denique certiſsimum eſt, Lutherum non cædes ſpiraſſe, non ſanguinaria conſilia regibus & principibus ſuggeſsiſſe, non claſsicum ceciniſſe, non tubam aut facem ſeditionis aut vllius belli fuiſſe, ſed principibus conſilijs ſuis per omnem vitam auctorem & ſuaſorem, precibus verò adiutorem conſeruandæ publicæ pacis, ſubditis etiam hortatorem ad obedientiam, grauem & conſtantem ſeſe præbuiſſe,

vtut ſanè aduerſus optimatum quoſdam Pericle vehementius tonuerit & fulminauerit. Quid? quod Lutherus diſciplinam eccleſiaſticam ſuſtulit, improbando ieiunia, ἐξομολόγησιν, aſsiduitatem orationis, abſtinentiam, flagella & verbera, humicubationem, & ſimiles carnis caſtigationes, tantùm eo fine, vt carnis ſocordiæ & ſegnitiei in pietatis exercitijs patrocinaretur. Sed præſtò eſt reſponſio. Notiſſimum eſt enim penè ex omnibus monumentis Lutheri, eum non tam ipſa aſperiora exercitia, rectè vſurpata, quibus frenum inijcitur carnis cupiditatibus, ſalua libertate euangelij, quàm hypocriſin ſeu σωματικὴν γυμνασίαν damnaſſe, deſtitutam vero timore Dei, fide, & incoatione obedientiæ moralis (ſine quibus illa nullius frugis aut momenti eſt, teſte Apoſtolo, ſed mera ἐθελοθρησκεία καὶ ματαιολατρεία) tum quod falſa opinione cultus, neceſſitatis & meriti iuſtitiæ & vitæ æternæ contaminata, & ad ſtabiliendam tyrannidem Pontificiam, & aggrauandum iugum captiuitatis Babylonicæ, ad obſcurandam gloriam Chriſti, ad extinguendam lucem Euangelij, ad delendam conſolationem fidei, ad tollenda exercitia ſpiritualia & cultum interiorem fidei, ſpei, dilectionis, inuocationis, &c. directa, & cum horribili carnificina conſcientiarum, ac præſentiſſimo mortis ac damnationis æternæ periculo, própter impia aſſumenta, coniuncta eſſent. Gloriæ igitur DEI rationem habuit Lutherus, cui ſoli poteſtatem inſtituendi cultus in ſolidum vendicauit & aſſeruit, conſcientiarum paci & tranquillitati conſuluit, libertatem euangelij, in quam Chriſtus nos vindicauit, contrariam ſeruituti Antichriſti Romani, ſaluam, denique fidem DEO in Baptiſmo ſalis fœdere obſtrictam,

inuiola-

inuiolatam manere voluit, non libidini, aut temeritati vulgi inſeruijt, non ſecuritatis carnalis patrocinium ſuſcepit, non ἀσέλγειαν, aut infinitam peccandi licentiam ꝓbauit, nullius profanitatis auctor aut defenſor extitit, quemadmodũ docet liber ad Leonẽ ſcriptus anno xx. Quid? quod Lutherus ius ciuile ex ſcholis & foro exploſit. O' diabolicam blaſphemi ſpiritus calumniam, O Cynicam impudentiam. Quæ enim ex reformatione ad nobilitatem Germanicam allegantur, ex his manifeſtum eſt, Lutherum ſanctiones Imperatorum, non quidem planè abolitas voluiſſe, quas Pontificum canonib. & decretis multis nominib. præfert, ſed correctas, & molem earum imminutam, atq; longè petitas conſtitutiones & leges ciuiles, quibus magis implicantur, quàm explicantur cauſæ forenſes, ſaltem è medio ſublatas optaſſe, neq; dictatoriam aut prætoriam, alienam à miniſterio, poteſtatem ſibi hac in parte arrogaſſe, ſed fidelis doctoris euangelij & paſtoris animarum munere laudabiliter perfunctum eſſe. Quod verò ex captiuitate Babylonica allegatur, Lutherum dixiſſe, omnes omnium hominum conſtitutiones per libertatem Chriſtianam eſſe abrogatas, notiſſimum eſt de traditionibus humanis, ſeu de cultibus humana auctoritate inſtitutis, & cultui diuino, vel æquatis vel prælatis, non de legibus ciuilibus, à Luthero intellectum fuiſſe, iuxta dictum: Nemo vos iudicet, &c. At certè monumenta iuris Canonici, quibus ſanctiſſimæ Patrum ſententiæ, ſummorum pontificum & grauiſſimorum conciliorum canones comprehenſi ſunt, impiorum more tyrannorum Antiochi Epiphanij (Epiphanis vel potius Epimanis dicendum erat) ac Diocletiani, qui

ni, qui ſacros codices, & Arianorum, qui Nicænos canones Vulcano conſecrarunt, flammis vltricibus abſumſit. O impudentiam, ô veſaniam Sycophantæ, Patrum ſententias, Pontificum ſanctiones, & conciliorum decreta ſacræ & θεοπνεύστῳ ſcripturæ, & canonib. ſynodi Nicænæ, vnanimi Catholicæ eccleſiæ conſenſu receptis & comprobatis, æquare non dubitantis, maiori, quàm cœlum & terra diſtat, diſcrimine diſſidentia. Sed nunquid exuſtio librorum iuris Canonici probanda? Hîc non tam ad ipſum factum, quàm ad cauſas facti reſpiciendum eſt, iuxta regulam Auguſtini Epiſtola 48. Cum pij & impij eadem faciunt, non factis, ſed cauſis diſcernendi ſunt. Non enim iniuſto affectu impulſus hoc fecit Lutherus, non odio Romanæ beſtiæ incitatus, à qua ipſius ſanctiſſimæ lucubrationes prius per ſummam contumeliam crematæ fuerant, non cupiditate vindictæ, non odio nobiliſſimæ profeſſionis, & ad ſimilitudinem ſanctiſſimi officij Spiritus ſancti τοῦ παρακλήτου quàm proximè accedentis, Iuriſconſultorum ſcilicet, quam ſemper, & meritò, reuerenter habuit, & ſingulari ſtudio commendauit, coluit & ornauit tanquam DEI donum eximium & ſocietati humanæ inprimis neceſſarium, ſed motus ardenti Zelo gloriæ DEI & veritatis cœleſtis, coniuncto cum ſingulari odio manifeſtarum blaſphemiarum & contumeliarum in DEVM, quæ pijs ſententijs & honeſtiſſimis ſanctionibus in his monumentis admixtæ ſunt, quarum multæ in libello, apologiam huius facti continente, ab ipſo Luthero collectæ ſunt, deniq; extimulatus iuſtiſſima indignatione aduerſus aulæ Romanæ aduocatos, verius adulatores, Canoniſtas, à quibus

ſanctorum

ſanctorum Patrum ſententiæ & pontificum, conciliorumq́; decreta, fortè præter auctorum intentionem & voluntatem, ſtabiliendæ idolomaniæ, auaritiæ & tyrannidis Pontificiæ, imò obſcurandæ gloriæ Christi cauſa, pleno tum ore iactabantur, prædicabantur, ac iuuentuti ſcholaſticæ inculcabantur. His enim R. P. Lutherus, heros magnanimus, Spiritus S. inſtinctu concitatus, vt auditores contra paraſitorum aulæ Romanæ clamores inſulſos confirmarentur, & collegæ excitarentur, illuſtre conſtantis confeſſionis veritatis, ardentis Zeli, & liberi ſpiritus opus opponere voluit, quod reſpectu eorum, quæ modò commemorata à nobis ſunt, admirandum nobis potius, quàm reprehendendum eſt, non minus quàm abrogatio ſacrificiorum & aræ Baaliticæ, deletio ænei ſerpentis, combuſtio librorum ethnicorum oppoſitorum Paulo, & res magnæ ac ſalutares aliæ, præſertim à ſanctis heroibus ardenti Zelo, & ſpiritus feruore admirabili impulſis, præter eorum inſtitutum & intentionem geſtæ, non ſine magna Dei approbatione, & admiratione hominum, ad quarum imitationem mediocribus hominibus, intra metas modeſtiæ humanæ concluſis, ne aſpirare quidem licet. Eundem ad modum ſales & ioci paulò acerbiores de quibuſdam Iuriſconſultis ab ipſo in menſa & cõuiuijs vſurpati, quorum Lutheromaſtix quoq; odioſè meminit, piorum & verorum iuſtitiæ ſacerdotum honeſtiſſimo nomini & exiſtimationi ampliſſimæ nihil derogant, quos, vt dictum eſt, Lutherus maximo in precio ſe habere ſæpiſſimè teſtatus eſt, ſed ad Canoniſtas, idolomaniæ, τ̃ αἰσχροκερδίας & tyrannidis pontificiæ patronos, quorum non pauci initio repurgatæ doctrinæ

aduerſus Lutherum mira inſolentia & intolerabili audacia inſurrexerunt, & curſum repurgationis obiectis multiplicibus remoris impedire & retardare conati ſunt, pertinent. Agnoſcamus igitur in Luthero ſpiritum, os & manum domini. Quod ſi nimiæ aſperitatis atq; acerbitatis intolerabilioris aliquid ab eo adhibitū animaduertitur, meminerimus Lutherum hominem fuiſſe, non ἀναμάρτητον, neq; ἀνυπεύθυνον, qualis nemo ſanctorum fuit, ſed ἀνέγκλητον καὶ ἄμεμπτον in Chriſto, neq; propter opera liberi ſpiritus & παῤῥησίαν ſingularem, repurgationem doctrinæ per ipſum factam, verè ingens miraculum extenuemus & parui pendamus, aut ipſum Lutherum odioſè exagitemus, vt hodie faciunt ingrati cuculi, Eſauitæ & μυστηριομάστιγες, ſed quod nimium videtur, pallio Eliæ tegamus, cogitantes à pleriſq; hodiè docentium, nimia lenitate grauius peccari, Deumq; offendi, quàm homines moderati vnquã Lutheri aſperitate offenſi aut perturbati fuerunt. Sed quomodo excuſabitur, inquies, quod fidem tantopere extulerit, vt quæ vna & ſola Deum nobis placatum reddat, retineatq;, & ad ſalutem ſufficiat, quicquid alioquin vel agamus, vel non agamus, ita vt damnandus, ſecundum Lutherum, nemo ſit, quantumcunq; flagitioſus, niſi nolit credere. Quaſi verò hoc non ſit Chriſti Theologiam in philoſophiam Epicuream conuertere. O' deteſtandam ſophiſticam, ô calumniam execrandam Sycophantæ. Nunquid enim ideo Lutherus fidem tantis præconijs ornauit, nunquid meritum CHRISTI tantis laudibus extulit, illuſtrauit, amplificauit, idq; toties ſtylo & voce repetiuit & inculcauit, vt ſtudium pietatis & bonorum operum languefaceret, ἀσέλγειαν carnis &

peccandi licentiam augeret & confirmaret, fidem cum peccatis contra conſcientiam ſtare poſſe perſuaſum habens? Quod ſi ita eſt, quod tamen falſiſſimum eſt, cur quæſo Lutherus toties, tantoq; ſpiritu atque zelo, abuſum libertatis Euangelicæ taxauit? cùm alibi, tum in enarratione epiſtolæ Iohannis de fraterna dilectione, quam certo conſilio non tam auditoribus, quàm concionatoribus ſolam fidem vrgentibus, neglecta pœnitentia & bonis operibus, oppoſitam eſſe conſtat anno XXXIII. tum in libris & diſputationibus, oppoſitis furori fanaticorum ſpirituū eorum, qui ex eo, quod legem ex Eccleſia in curiam & Moyſen ad furcam relegarent, τῶν ἀντινόμων, id eſt, hoſtium legis nomen ſortiti ſunt, præſertim anno XXXIX. Nonne fidei amplificatio huc potius ſpectat, vt CHRISTO ſua gloria integra conſtet, conſcientiæ firmam ſalutis ancoram habeant, cui tutò inniti poſſint, inter multiplicium tentationum procellas, excitetur inuocatio, & diſcrimen legis atq; Euangelij conſpiciatur illuſtrius? Sed quæ perſpicua ſunt, longa eſſe non debent.

POSTREMVM crimen Epicureæ veſaniæ, quod Luthero obijcitur, eſt voluptatis corporis & fœdarum libidinum patrocinium, ex votorum monaſticorum laxatione, & coniugij commendatione petitum. Sed quid impudentius etiam hac ſubantis Epicuri de grege porci calumnia? Quis enim eſt, qui neſciat Lutherum φιλόθεον μᾶλλον, ἢ φιλήδονον, imò hoſtem fœdarum libidinum ἄσπονδον, & ὑπερασπιστὴν veræ caſtitatis acerrimum, vota non ſimpliciter, & ſine diſcrimine omnia, ſed tantùm libertati Euangelicæ, & ſanctiſsimo fœderi cum Deo in baptiſmo facto aduerſantia, item impoſſibilia, aut cer- VI. Gradus collationis.

tè στίγμα ſeu καυτήριον conſcientiæ imprimentia ſuſtuliſſe, atque hortatorem cûm alijs, tum verbi miniſtris, dono perpetuæ continentiæ non inſtructis, vt coniugium contraherent, fuiſſe, non puri cœlibatus aut virginitatis veræ odio, non libidinum amore & ſtudio, ſed vt conſcientijs eorum conſuleret, diabolo ſpiritui immundo occaſionem confuſionis fœdarum libidinum eriperet, vt lupanaria tolleret, vt cœnobia, Veneris luſtra facta, ad priſtinam τῆς σεμνότητος καὶ ἁγιασμοῦ μετὰ σωφροσύνης dignitatem reduceret, denique vt cædibus infantium, ex impuro cœlibatu ſuſceptorum, finem imponeret, quorum ter mille capita Romæ iuxta cœnobium monialium, vt putabantur, ad D. Gregorij in ſtagno inuenta, ſcribit ſanctus Huldericus, epiſcopus Auguſtanus. Quæ cum ita ſint, auditores omnium ordinum & dignitatum præſtantiſſimi, toto pectore deteſtemur & execremur ſcurrilem audaciam & venenatas calumnias Lutheromaſtigis Alberti Hungeri, tanquam impudentiſſimi & famelici canis latratus & vlulatus horrendos, imò vt venenatos ſarcaſmos diaboli: Lutherum verò, vt eximium Dei organum, & Zelo gloriæ Dei conſpicuum, doctorem ſummum, & omnium τῶν θεολόγων noſtri ſeculi φωσφόρον, repurgatorem doctrinæ Chriſtianæ admirandum, interpretem ſcripturæ fideliſſimum, & feliciſſimum, veritatis propugnatorem acerrimum, furorum Epicureorum hoſtem infeſtiſſimum, Prophetam Germaniæ vltimum, confeſſorem veritatis conſtantiſſimum, & martyrem inſignem, denique ἀντιχριστοκτόνον glorioſum, hunc, inquam, tantum virum, declarandæ debitæ cum erga Deum, tum erga ipſum, gratitudinis ergò, amemus, magnificamus, admiremur, ſuſpiciamus,

mus, veneremur, exoſculemur, defendamus, imò laudibus ornemus & extollamus perpetuis, & hunc amorem noſtrum aſſiduo & indefeſſo ſtudio lectionis pleniſsimorum doctrinæ & conſolationis monumentorum illius conſtanter declaremus, magno animo ſpretis & contemtis tam Ieſuitarum, quàm Sacramentariorum putidis calumnijs.

NVNC quod bene vertat æternus DEVS, pater Domini noſtri IESV CHRISTI, accedo ad conſtitutos in medio huius ornatiſſimæ concionis quatuor ſpectatæ pietatis, virtutis & doctrinæ viros, optimarum artium Magiſtros; & ſacræ Theologiæ Baccalaureos, collaturus illis, ſecundum Collegij Theologici, conſentientibus ſuffragijs factum decretum, cùm pietatis, tum diligentiæ adhibitæ, & exantlatorum laborum in ſtudijs ſacræ paginæ, præmium honorificum, attribuendo illis poteſtatem, ad ſupremum vſque gradum dignitatis ſcholaſticæ in hoc ſtudiorum genere, quem Doctoratum Theologiæ vocant, per opportunitatem, Deo iuuante, aſcendendi, ſumto initio, more ſcholaſtico, ab eorum commendatione. Non autem ſingulos ſingulis nunc encomijs ornabo, quod temporis non patiatur anguſtia, neq; ſpeciali prædicatione opus ſit, cum ipſi & pie atq; honeſtè viuendo, & vtiliter in templis ac ſcholis docendo, probæ mercis inſtar, quotidie de meliore nota pleriq; ſeorſim ſeſe commendent, vt ſi quis eos noua laude ornare velit, is Soli mortale lumen, vt eſt in prouerbio, illaturus videatur. Sed communi illis omnibus elogio vtar, eoq;, non ab amoris affectione, ſed à vero, incorruptoq;, cum collegarum meorum, vi-

rorum reuerendorum & clariſſimorum, tum meo iudicio profecto, quo non videtur maior laus exquirenda, nimirum, quod decurſo optimarum diſciplinarum atq; artium ſpatio, omnem ingenij vim, omnem ſtudij laborem in doctrinam puræ & incorruptæ veritatis cœleſtis, contulerint, & ad huius facultatem impendio omnium fortunarum, per maximas difficultates publicas & priuatas, per ſudores & vigilias multiplices contenderint, & eam ſibi copiam compararint cognitionis rerum diuinarum, vt alios tam in ſcholis, quàm in templis præcipuo loco bene & fructuoſè inſtituere & docere poſſint. Quod non contentum Collegium noſtrum, iam antea, certis notis deprehenſum, ita ſe habere, proximis aliquot diebus, cenſura & inquiſitione priuata, eaq; graui & accurata, explorando denuò comperit, idque honeſtiſſimo huic cœtui, cùm heſterno, tum hodierno die, habitis diſputationibus, planum factum eſſe confidit. Communis eſt omnibus his & ſingulis religioſa in Deum pietas certumq; propoſitum illuſtrandæ, defendendæ ac propagandæ ad poſteros purioris doctrinæ cœleſtis, vera animorum, voluntatum & ſtudiorum nobiſcum in Domino coniunctione. Communia ſunt omnibus reuerentiæ erga ſuperiores, erga pares comitatis, humanitatis erga inferiores, officioſi ſtudij erga cunctos, ornamenta & decora, eaq; non vulgaria. Tales cùm certiſſimum ſit, eſſe candidatos noſtros omnes, non eſt neceſſe, vt de rationibus huius inſtituti eorum, multum verborum à me fiat, quod perſuaſiſſimũ omnibus eſſe decet atq; par eſt, non ab ambitione, ſeu eruditionis ſingularis, aut ſcientiæ alicuius eximiæ, multò minus perfectæ, & omnibus, quod dicitur, numeris abſolutæ, quæ

tæ, quæ in hanc naturæ infirmitatem non cadit, perſuaſione, aut tituli ſplendidioris affectatione inepta, multò minus à ſolo commodorum augendorũ ſtudio profectum, aut ad inanem gloriam & oſtentationem mundo familiarem directum eſſe, à quorum vitiorum labe omnium candidatorum noſtrorum propoſitum lóngè alieniſſimum eſſe, habemus exploratè cognitum. Quæ res igitur, vt hoc tempore in curriculo petendorum honorum ſcholaſticorum procederent, inquies, eos impulit & inſtigauit? Graues omnino cauſæ ſunt, & fauore atq; approbatione bonorum omnium dignißimæ. Quæ igitur? Ingens cupiditas, nimirum, ornandæ gloriæ Dei; ardens ſtudium, præclarum depoſitum & maximi precij talentum Chriſti, occaſione amplioris dignitatis, longius & illuſtrius proferendi, & fæneratorum inſtar ad vberiorem eccleſiæ & ſcholarum fructum conferendi; conatus ſuccurrendi & ſubueniendi eccleſiæ, & quaſi fulciendi & ſuſtentandi ruinoſum illius ædificium, cùm alijs officijs, eidem valde neceſſarijs, tum propugnatione purioris doctrinæ aduerſus corruptelas & blaſphemias aduerſariorum, tam Pontificiorum, quàm Sacramentariorum, ad quam pugnam & conflictum omnium difficilimum & periculoſißimum, honorifico teſtimonio piæ communitatis, conſentienti ſibi iudicio collato, inſtructi vt accedant, quantum referat, & quantopere ad hanc militiam, quæ in confeßione & defenſione intrepida veritatis verſatur, teſtimonio eiuſmodi, cum Sacramento publico coniuncto, obligentur, & quam efficacem conſolationem in omnib. periculis ex hoc vocationis teſtimonio percipiant, ex Lutheri hiſtoria candidatis noſtris notißimum eſt, quem non ignorant, vt

titulum

titulum atque officium doctoris aſſumeret, ſolius eccleſiæ periclitantis ſalute, qua de illum D. Staupitius admonuit, motum, & ex hoc publico mandato docendi, Doctoralibus inſignibus confirmato, vberrimam conſolationem, in omnibus periculis & tentationibus percepiſſe, atque hoc veluti calcari & ſtimulo, ad ſtrenuè pugnandum, contra Antichriſtum & fanaticos ſpiritus, mirificè exuſcitatum fuiſſe. Nec dubium eſt, quin aliquos candidatorum noſtrorum, præter R. patrem Lutherum, quem imitandum ſibi potiſsimum propoſuerunt omnes, pia & honeſta æmulatio parentum & præceptorum ſuorum, Reuerendorum & ampliſsimorum virorum, τῶν ἐν ἐλλογίᾳ, domini D. Iohannis Pfeffingeri & Henrici Salmuti, Paſtorum & Superattendentum eccleſiæ, & profeſſorum celeberrimæ ſcholæ huius, laude & prædicatione digniſsimorum, & de hac ſchola atque eccleſia optimè meritorum, non parum extimulauerit. Quæ eò pertinent omnia, vt intelligant omnes, ornatiſſimos candidatos noſtros fauore, beneuolentia, benignitate, ſtudio & patrocinio ſuo, propter honorum petitionem, ſummorum virorum exemplis excitatam, & ad communem eccleſiæ in ſummo diſcrimine & reuera ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς nunc conſtitutæ, ſalutem directam, digniſsimos eſſe, atque ideo eos in fidem & clientelam ſuam non grauatim recipiant, eorumque ſtudia atque commoda, quibuſcunque facultas & occaſio eſt, ad ſpem eccleſiæ & decus atque incrementum ſcholarum publicarum, omnibus pijs & honeſtis officijs excitare & prouehere non dedignentur. Atque hæc de candidatorum propoſito & Collegij noſtri decreto dixiſſe ſatis ſit. Nunc, quàm id, cui hic conuentus po-

tus potiſsimum quaſi conſecratus eſt, exequar, requiritur prius à ſingulis D. D. candidatis, vt more maiorum, quæ verbis prælegentur à miniſtro publico, iurati promittant.

JVRAMENTVM
LICENTIATORVM.

VOtum facio omnipotenti DEO, *patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, conditori generis humani, & Eccleſiæ ſuæ, vnà cum Filio ſuo Domino noſtro* IESV CHRISTO, *& cum Spiritu ſancto, me, Deo adiutore, tradendo doctrinam ſancti Euangelij ſine omnibus corruptelis, Eccleſiæ fideliter ſeruiturum, ſymbola, Apoſtolicum, Nicænum et Athanaſianum, conſtanter propugnaturum, & in conſenſu doctrinæ comprehenſæ in prima & non mutata confeßione Auguſtana, Imperatori Carolo V. anno* M. D. XXX. *exhibita, in eiuſdem apologia, in Smalcaldicis articulis, Catechiſmis Lutheri, & in Torgæ anno* M. D. LXXVI. *concepta, & poſtea anno* M. D. LXXX. *publicata declaratione, quam librum Chriſtianæ concordiæ vocamus,*

Dei beneficio, conſtanter perſeueraturum & permanſurum eſſe. Denique ortis difficilibus & perplexis controuerſiis, non temerè aut inconſideratè iudicaturum, neq; vel amore, vel odio, vlli parti aſſenſurum, aut ab ea diſſenſurum, ſed cauſam ipſam ex verbo Dei diligenter perpenſurum, & ſi opus fuerit, cum eruditis, Dei timentibus, puris & minimè ſuſpectis atq; ætate grauiſſimis Auguſtanæ confeſſionis doctrinæ addictis Theologis, ſermones collaturum, aut de re ipſa accuratius mecum cogitaturum, & ſecundum præſcriptum atque normam ſanctæ fidei Chriſtianæ iudicaturum. Ita me Deus adiuuet.

QVOD igitur feliciter euenire velit æternus DEVS, pater Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, vnà cum hoc Filio & Spiritu ſancto, vnus, ſolus & verus DEVS. Ego Zacharias Schilter, S. Theologiæ Doctor & profeſſor in hac inclyta Academia, eiuſdemq; Procancellarius, ſecundum decretum R. collegij Theologici, auctoritate Illuſtriſsimi ac pientiſsimi Principis ac Domini, Domini AVGVSTI, Ducis Saxoniæ, ſacri Romani Imperij Archimarſchalli & Septemuiri creandis imperatoribus Romanis, Landgrauij Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, Burggrafij Magdeburgenſis, & Cancellarij inclytæ huius Academiæ vnici, Domini mei clementiſsimi, pro ea poteſtate, quæ ab ipſius illuſtriſsima celſi-

celſitudine, nomine illuſtriſsimæ adminiſtrationis reuerendiſsimi & illuſtris præſulatus Merſeburgenſis, clementiſsima delegatione mihi conceſſa eſt,

Te
- Iohannem Seliger, Paſtorem & Superintendentem Eccleſiæ Delitianæ,
- Burchardum Harbardum, S. Theologiæ profeſſorem & collegam noſtrum,
- Iohannem Salmutum, Eccleſiæ ad D. Nicolai archidiaconum,
- Simonem Gödiccum, Eccleſiæ ad D. Thomæ Diac.

Vos, inquam, vniuerſos & ſingulos, opt. art. ac liberalium diſciplinarum Magiſtros, & S. Theologiæ Baccalaureos, more maiorum & conſuetudine huius Academiæ, de ſententia Collegij Facultatis Theologicæ, Licentiatos ſtudij Theologici, facio & creo, factos creatoſque renuncio, poteſtatem vobis attribuens, per DEI gratiam & temporis opportunitatem, titulum & officium Doctorum recipiendi, atque omne ius vobis conferens huius gradus, quem Licentiam vocant, in ſtudio Theologiæ, proprium & peculiare, maximè, vt deinceps ſacros codices in publicis ſcholarum Cathedris, primario loco, ſecundum analogiam fidei, in Symbolis Oecumenicis, confeſsione Auguſtana, anno XXX. Imperatori Carolo V. oblata, eiuſdemq; Apologia, Smalcaldicis articulis, vtroque Catechiſmo Lutheri, & in libro Chriſtianæ concordiæ, ſub forma affirmatiuarum & negatiuarum propoſitionum comprehenſam, fideliter, purè, conſtanter, & intrepido animo explicetis & interpretemini, de rebus diuinis pias & ſalutares commentationes proponentes, idque in

nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti, vnius, veri, æterni, ſancti, iuſti, immortalis, veracis, miſericordis & omnipotentis DEI, cuius eſt regnum, potentia & gloria in ſecula ſeculorum.

AMEN.



LIPSIAE

IMPRIMEBAT IOANNES STEINMAN.

ANNO

M. D. LXXXIII.